This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 14 013
P A
6519
D4
K86
1881
MAIN
YC 00532
Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Class 768m
1881

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. OVIDII NASONIS

LIBELLUS

DE MEDICAMINE FACIEI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

EDIDIT, OVIDIO VINDICAVIT

ANTONIUS KUNZ.

PRAEMISSA EST DE CODICIBUS OVIDIANIS DISPUTATIO.



VINDOBONAE
APUD C. GEROLDI FILIUM, BIBLIOPOLAM
MDCCCLXXXI.

Digitized by Google

CENTRAL

Typis Caroli Gerold filii.

Digitized by Google

PA6519
D4K86
1881
MAIN

EMANUELI HOFFMANNO

GUILELMO HARTELIO

CAROLO SCHENKELIO

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Antonius Kunz Idibus Martiis a. h. s. LVI Kiritini, Moraviae in vico prope Brunam sito, patre Antonio, matre Francisca e gente Kutschera, quos adhuc inter vivos esse maximo opere gaudeo. fidei addictus sum catholicae. litterarum elementis in ludo vici patrii imbutus Brunam migravi ibique uno anno in schola publica ad St. Ioannis consumpto per octo annos continuos (LXIX/LXX ad LXXVI/LXXVII) frequentavi c. r. gymnasium publicum I, quod etiamnunc floret directore v. d. Carolo Schwippel. maturitatis testimonium adeptus autumno anni LXXVII Vindobonam me contuli ad litterarum antiquarum studia, quibus me dedere dudum decreveram, capessenda. ibi cum a magnifico rectore v. d. rev. Carolo Werner in album universitatis litterarum essem relatus, per septem spatia semestria interfui scholis vv. dd. G. Hartelii, E. Hoffmanni, C. Schenkelii, Th. Gomperzii, O. Hirschfeldi, M. Gitlbaueri, R. Zimmermanni, Th. Vogtii, E. Schmidtii. aestate anni LXXVIII singulari magistrorum dilectissimorum G. Hartelii, E. Hoffmanni, C. Schenkelii benivolentia mihi contigit, ut in numerum sodalium c. r. seminarii philologici reciperer, cuius instituti tripertiti per quinque spatia semestria fui sodalis, per duo simul bibliothecarii fungens munere. praeter ea per sex menses frequentavi exercitationes archaeologicas O. Benndorfii. abso-

Digitized by Google

luto triennio academico autumno anni LXXX ad excutiendos codices in primis Florentinos per aliquod tempus moratus sum in Italia, id quod ut permulta alia huius opusculi adiumenta debeo eximiae magistrorum Hartelii et Schenkelii benignitati.

Iam cum iis viris claris, quorum doctrina frui licuit, debitas gratias quam maximas agam omnibus, tum trias illa illustris, cuius auspiciis egregie floret seminarium philologicum, tanta in me cumulavit cuiusvis generis beneficia, ut, cum gratias iis dignas verbis vix exprimi posse videam, quodcumque aut ingenii viribus, quas illi quoquo modo alere non desierunt, aut industria, quam remitti iidem numquam passi sunt, aut quacumque ratione assequi contigerit, iis utique deberi sciant me gratissimo semper animo esse professurum dumque vivam veneranda eorum nomina piissima memoria culturum.

Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY

P. Ovidii Nasonis libellus de medicamine faciei plus uno nomine dignus esse videtur, qui, quantuluscumque est, novis curis edatur atque omnino tractetur.

Et textus quidem, quo hodie vulgo uti solemus, Merkelianum dico et Riesianum, quae sit condicio, ex hoc uno facile potest conici, quod R. Merkelius, quantumvis licet in ceteris rebus meruerit de Ovidio, ad hunc libellum recensendum unius atque recentissimi libri fide — si qua omnino erat — nisus est, codicis Guelferbytani olim Helmstadiensis 336, chartacei exeuntis saec. XV. (cf. ed. Teubn. a. 1871 vol. I. p. VI), quo duce ille poetae verba locis permultis immutare non dubitavit: idque eo magis est mirandum, quod Merkelium ad Tristium et Fastorum libros recensendos codices vetustiores, qui et hoc poematium exhibebant, adhibuisse constat. A. Riese autem in editione Tauchnitziana anni 1871 *librorum auxilio destitutus* Merkelii textum integrum repraesentavit (cf. t. I. praef. p. XV) et L. Mueller, qui a. 1861 Ovidii carmina amatoria separatim edidit, hunc libellum omisit.

Si vero altius repetimus, de editionibus post N. Heinsium curatis id statuisse sufficiat, neminem, quod sciam, post hunc inventum esse, qui ad textum constituendum libros manu scriptos adhiberet, nisi quod J. Chr. Jahn in ed. a. 1828 nova codicis Helmstadiensis, de quo supra diximus, collatione a Silligio curata usus est (cf. t. II. praef. p. XX). quae cum ita sint, iam videamus, quo modo Heinsius ipse munere critico in libello, de quo agitur, tractando functus sit.

In universum igitur hodie quidem certe nemo non videt Heinsii rationem artis criticae factitandae iam non iis sufficere, quae hoc tempore in hac arte exiguntur. quid quaeso talibus notis

Digitized by Google

faciamus quidve lucremur, quales sunt „*sex scripti praebent hoc, duo illud*“, vel „*Ciofanus dat ex suis hoc, Marius Niger illud*“, vel „*omnes quos vidi*“... aliaque id genus permulta, cum de librorum illorum natura atque indole, de aetate nihil fere comperiamus? nam quid de illis „*liber vetustissimus, optimus*“, quibus illa aetate viri docti haud parce utebantur, sit iudicandum, quis est qui nesciat? neque tamen id, quod aetas illa ferebat, Heinsio vitio vertendum esse statuo.

Alterum vero, quod eidem vulgo vitio vertitur, quodque disertissimus ac fortissimus Heinsii defensor Merkelius (cf. edit. Tristium a. 1837 Reimer. praef. p. X sqq.) neglegentia Burmanniana obtenta non omni ex parte diluisse videtur, hoc est, quod vir doctus ille parum accurate usus est libris manu scriptis, quos innumeros paene adhibuit — quid mirum in tanta illorum copia? en luculentum exemplum. in adnotatione commentariis libelli de medicamine faciei praemissa Heinsius, quem ad hoc opusculum praeter Marii et Ciofani codices passim nominatos plus quindecim libros adhibuisse Jahnius computavit (t. II. praef. p. XX), de inscriptione haec dicit: „*De inscriptione non satis constat. quae vulgo circumfertur, ex Ovidii versu (Art. am. III 205) videtur conflata. Scripti, quos vidi, nullam agnoscunt, praeter unum Vaticanum, qui de Ornatu faciei inscribit. prima tamen editio Medicatam faciem vocat. quid si Artem medicandae faciei inscribamus?..*“ haec ad hunc usque diem ubique repetuntur etiam a Teuffelio in novissima hist. litt. Roman. editione a. 1875, 348. 7, nisi quod in Helmstadiensi inscriptum esse *de medicamine faciei* addidit Jahnius. quid? equidem viginti fere libros adhibui, qui tantum non omnes inscriptiones a prima manu habent exaratas. ex quibus Laurentianum priorem (plut. XXXVI c. 2) ab Heinsio ipso excussum esse, nota primo folio adscripta testatur, („*quae in hoc codice continentur, contuli N. H.*“): Neapolitanum autem priorem, de quo ad v. 88 dicit „*ante quingentos annos scriptus*“ illum „*vidisse*“ extra omnem dubitationem positum est, ut alios omittam, de quibus idem plus quam veri simile est. at quem talia fugerunt, ei iure parvam fidem habebimus in rebus aliis. et re vera Heinsium non pauca cum falso attulisse, tum vero omisisse, quatenus scilicet notae eius typis impressae sunt, apparatus a nobis congestus ostendet.

Digitized by Google

Ceterum Heinsii crisis in hoc quidem libello tota pependit cum ex libris recentissimis ac pessime habitis, tum e Neapolitano primo, quem textum iam recensitum et audacter immutatum exhibere postea demonstrabimus, neque ei cognitus erat codex omnium, qui exstant, vetustissimus et optimus Marcianus, quem si novisset, certe non fudisset miro acuminis abusu innumerabiles illas quarum tamquam nube opplevit hunc libellum coniecturas. atque haec quidem de apparatu, e quo hucusque crisis huius libelli pendebat; nam ubi de crisi Ovidiana agitur, ultra Heinsium regredi vix opus est; de editionibus saeculi XV. postea disputabimus.

Iam si in hac rerum condicione nova textus recensio valde est expetenda, quaestio haud minus necessaria haec est, utrum libellus, quem tractamus, quamvis mutilus ad nos pervenerit, Ovidii sit necne. nam et de hac re nihil certi omnino constat [1]). cum enim iam saec. XV. Lilius Gregorius Gyraldus, qui in libro IV. de poet. hist. epistulam Sapphus, consolationem ad Liviam, de nuce elegiam Ovidio attribuere non dubitavit, libellum de medicamine faciei in numero carminum subpositiciorum posuerit una cum illis, de vetula, de pulice, de philomela: novissimus Ovidii editor A. Riese profitetur (t. I. praef. p. XI) se, si libri mss. fortasse poematium istud Ovidio non tribuant — neque enim quicquam de hac re habebat cognitum —, non dubitare, quin ut ieiunum atque sterile Ovidio sit abiudicandum et poetae alicui Ovidiano tribuendum. contra alii aliter senserunt, etsi plenam et perfectam argumentationem nusquam invenire contigit. et hanc igitur quaestionem equidem pro viribus meis expedire conabor.

Sed ut iam praefandi finem faciam, via atque ratio, qua mihi procedendum esse putavi, ea erit, ut priore parte, qua textum constituere conabor, primum de libris manu scriptis, quibus uti licuit, disputem, deinde textum ipsum subiuncta codicum scriptura ponam, tertio huius partis loco commentarios criticos collocem, altera autem parte hunc libellum ab Ovidio non abiudicandum esse demonstrem. neque tamen is sum qui sperem, me

---

[1]) Quae res quam incerta sit, docent Baehrii verba in hist. litt. Rom (ed. 4. a. 1868—72) I p. 507: „*Die Echtheit des Gedichtes ist jetzt wieder von Jahn vertheidigt worden..... Die Abhandlungen über Echtheit und Unechtheit Ovid. Gedichte müssen noch durchgenommen werden.*“

Digitized by Google

officia, quae mihi proposui, ex omni parte esse absoluturum in primis prius illud textus constituendi; sed quodcumque assequi contigerit, si viris doctis fuerit probatum, toto pectore laetabor.

Restat, ut gratias quam maximas publice agam iis viris egregiis, qui in comparandis librorum manu scriptorum collationibus aliisque subsidiis ope sua me benigne adiuverunt: J. Haupt, bibliothecae palatinae Vindobonensis custos et A. Goeldlin de Tiefenau, eiusdem bibliothecae scriptor humanissimus Nicolaus Anziani, rev. bibliothecae Laurentianae praefectus, W. N. du Rieu, Universitatis litterarum Lugdunensis bibliothecarius, Leopoldus Delisle, bibl. nat. Parisinae director, Guilelmus Meyer, bibl. publicae Monacensis praefectus, Gabriel Meier, rev. bibliothecarius Einsiedlensis; denique cum summa grati animi testificatione sunt nominandi amici H. S. Sedlmayer, Henricus Schenkl, J. S. Frankfurter Vindobonenses: quid cuiusque liberalitati debeam, suo loco commemorabitur.

Digitized by Google

PARS I.

I. De apparatu critico.

I. De codice Marciano M.

Omnium librorum, quos adhibere contigit, antiquissimus et praestantissimus est Marcianus Florentinus, qui cum etiam in Tristibus et in Nuce sit primarius necdum satis accurate usquam descriptus, fusius tractandus esse videtur.

Fuit igitur olim hic codex bibliothecae conventus S. Marci, quod nota in folio codici praefixo exarata[2]) commemoratur, insignitus numero 223, nunc adservatur in bibl. Mediceo-Laurentiana. constat autem foliis 70 membranaceis, 34 cm. altis, 23 cm. latis; binae sunt in singulis paginis columnae versuum plerumque 55—57 praeter 55^b, quae pagina quattuor habet columnas.

Fol. 1 usque ad 55^a continet libros Metamorphoseon,

Fol. 55^b librum Nucis et libellum de medicamine faciei sic inscriptum post illud *EXPLICIT LIBER NUCIS OVIDII NASONIS: EIVSDEM INCIPIT LIBELLVS DH MHDICAMINH FACIHY FHMYNHH*; subscriptum est nihil nisi „*explicit*".

Fol. 56^a—70^b exhibent libros Tristium.

In toto autem codice distinguenda sunt folia antiqua et recentia, saec. XIV.—XV. perscripta. postquam enim antiquorum qua-

---

[2]) *Liber Conventus scti Marci de fla* (= *florentia*) *ordis pdicatorum hitus a fre Georgio Anto uespuccio filio nativo 1499.*

Frater Georgius Antonius Vespuccius patruus est celebrati illius Americi Vespuccii, optime meritus de bibl. S. Marci, Savanarolae socius, mortuus die XVII. Aprilis a. 1518. (Cf. Bandini, Catal. codd. lat. bibl. Med. Laur. t. IV. praef. p. XXXIV.)

Digitized by Google

ternionum compage soluta folia non pauca perierunt, deperdita praeter duo suppleverunt manus recentes, in libris Metam. saec., ut videtur, XIV., in Tristium libris saec. XV. foliorum et antiquorum et recentium ordinem hac tabula depingam:

Fol. 1 et 2 = Metam. I 1—445, quorum versus 442—45 in marg. inferiore adiecti sunt, scripsit manus recens,
„ 3—8 = Met. I 446—III 110, man. antiqua,
„ 9—11 = „ III 111—IV 39, „ recens,
„ 12 = „ IV 40—260, „ antiqua,
„ 13 et 14 = „ IV 261—700, „ recens,
„ 15—55[a] = „ IV 701—finem „ antiqua,
(V 605, 629 in margine sunt adiecti)
„ 55[b] = Nux et De med. f., manus antiqua,
„ 56 et 57 = Trist. I 1. 1—I 5. 10, „ recens,
„ 58—63 = „ I 5. 11—III 7. 1, „ antiqua,
(III 7. 2—IV 1. 11, qui versus 398 duo folia occupaverunt, plane perierunt)
„ 64 et 65 = Trist. IV 1. 12—IV 7. 5, man. antiqua,
„ 66—70 = „ IV 7. 6 — finem, „ recens.

Quattuordecim igitur folia libri veteris deperdita suppleverunt manus recentes, duo omnino perierunt.

Cum haec ipsa codicis natura indicet, librum olim integrum soluta compage quaternionum turbatum et postea — saec. XV. — in eam formam, quam nunc prae se fert, redactum esse, foliis quae perierant suppletis, alterum accedit indicium, unde cum aliqua probabilitatis specie concludi licet, librum, qualem quidem nunc habemus, reliquias tantummodo esse codicis, qui dum integer erat, forte omnia Ovidii opera complectebatur. folio enim 58, quod primum est vetusti Tristium quaternionis, cuius duo folia ultima comprehendentia versus III 7. 2 — IV 1. 11 perierunt, in sinistro marginis superioris angulo a manu antiqua forti ductu exaratus est numerus „XVII.“, qui sine dubio quaternionem significat. ad consociandum hunc numerum cum foliis antecedentibus et antiquis et recentibus manus multo posterior pro quaternionibus quaterna tantum atque adeo terna nonnumquam folia numerans praeter singulorum foliorum notas celeri calamo adiecit numeros arabicos 16, 15, 14, 13 etc.

Digitized by Google

Vetustam sane quaternionum significationem praeter illud XVII. invenire non contigit, quod, cum folia numeris insignita aut omnino desint, aut notarum vel erasarum vel immutatarum prae se ferant vestigia, non est mirandum. iam si quaternionem illum XVII. incipientem a Tr. IV 1. 12 Ovidii carmina praeter Ibidem et libros ex Ponto, qui in ll. mss. vulgo post Tristia exhibentur, antecessisse facimus, iis quae restant comparatis, dico libros Metamorphoseon et Tristium — nam Nucis et libelli de m. f. ratio non est habenda, quia haec ad unam paginam supplendam litteris solito minoribus sunt exarata — iis inquam comparatis ratio etsi non omnino tamen aliquantum constare videtur. habemus enim hanc computationem:

Tristium versus 3602 occupant folia 17, i. e. fol. 56—70 et duo deperdita. quorum rationem si ad Amores (vv. 2410), Heroides (vv. 3098), Nucem (vv. 182) et de med. f. (vv. 100) adhibemus, quos duo libellos, ut omnium minimos, codice divulso ad paginam vacuam complendam transscripta esse probabile est, sic est computandum:

3602 : 17 = 5790 : x, i. e. folia fere 28.

Porro eadem ratione, cum Metamorphoseon versus 11976 occupent folia 55:

Artis amat vv. 2280
Remed. am. „ 814 } = 8066,
Fasti ..... „ 4972

11976 : 55 = 8066 : x, i. e folia fere 37.

Quaternionem igitur XVII. haec antecessisse statuimus:

Metam.	folia	56 (55 inscripta, unum vacuum)
Tristium	„	2
Amorum etc.	„	28
Fastorum etc.	„	37

i. e. 123 folia.

Quodsi hunc numerum cum foliis sedecim quaternionum i. e. 128 comparamus, quinque tantum restant folia computanda, ita ut ratione habita spatiorum inter singula opera intercedentium et adiecto hoc, quod cum in antiquis etiam codicibus Ovidianis opuscula quaedam Pseudo-Ovidiana exstent[3]), etiam huic

[3]) cf. codicem Cheltenhamianum, quem ad Marcianum proxime accedere postea ostendemus.

Digitized by Google

inserta esse potuerint, coniectura nostra aliquam probabilitatem habere videtur. dolendum autem est, quod subscriptio sex fere linearum, folio 65^{b}, quod ultimum est antiquum, subiuncta a manu recentiore, plane evanuit; hac forte de fatis huius libri aliquid comperiremus.

Quod ad manus, quibus codex Marcianus exaratus est, attinet, quattuor sunt distinguendae, duae antiquae aequales, duae recentiores.

Altera manus antiqua Metamorphoseon libros exaravit et singulas partes Tristium, id quod in primis e scriptura f. 58^{b} elucet, altera reliquas Tristium partes et libellos de Nuce et de med. f., qui quamvis litteris minutissimis scripti sint, tamen manifeste eandem manum produnt; (qua de re in primis comparanda est folii 58^{b} columna sin.). hae duae manus antiquae, quae eo potissimum possunt discerni, quod altera litteris rectioribus, altera obliquioribus utitur, se invicem exceperunt, una alteram correxit lacunasque ab illa relictas, quas ad mutilum archetypum fortasse papyraceum referendas esse suspicatus est v. d. N. Anziani, explevit (videas in primis f. 62^{b}, 63^{a}). recentiorum manuum alteram saeculi, ut videtur, XIV. libros Metamorphoseon, alteram paullo posteriorem (s. XV.) Tristium folia deperdita supplevisse supra diximus. de aetate antiquae huius codicis partis viri docti varie censuerunt. in codice ipso chartulam inveni in qua haec adnotavit N. Anziani: „*Nil absonum, quod scriptura tristium Ovidii, ad finem codicis Marciani.... sit potius saeculi X quam XI, quod constat ex forma litterarum propria eius aevi quam posterioris aetatis, et etiam ex fulvo colore atramenti, quod est non leve indicium codicum antiquitatis*“. R. Merkelius, ad quem sero notitia huius codicis pervenit (cf. textus edit. t. III. praef. p. III), eum saec. X. aut XI. esse dicit, id quod ab amico nescio quo comperit. secundum Riesium (t. III. praef. p. VII) catalogus eum saeculo XII. attribuit. sed nescio, de quo catalogo Riesius verba faciat; nam in supplementis bibl. Laurentianae manu scriptis, quattuor volumina comprehendentibus, eum nusquam inveni commemoratum.

Udalricus de Wilamowitz Moellendorff, qui in Commentationibus in honorem Th. Mommseni scriptis ex hoc libro Nucem edidit, p. 391 dicit: „*liber, ut periti autumant, saeculo fere undecimo scriptus*“.

Digitized by Google

Denique Aem. Baehrens, qui item Nucem inde desumpsit, (Poetae lat. min. I. 88 sqq.) dicit „*saeculi XI—XII*“. ita fere et ego iudicem: mihi enim et singularum litterarum forma et totius scripturae habitus saeculi XI. posterius vel prius XII. dimidium prodere videntur.

Libellum de medicamine faciei lectu difficillimum, cum multa evanida atque abstrusa sint, dum anno praeterito Florentiae morabar quam potui accuratissime contuli, neque plura quam ipse assecutus sum elici posse puto, nisi forte remedia chemica fuerint adhibita.

Merkelio postremus hunc codicem usurpasse visus est Ang. Politianus (cf. l. c. p. III), qui in excerptis suis diceret se cum alia tum libros Tristium cum vetusto codice S. Marci contulisse. sed falso id suspicatus est vir doctissimus. Politianus enim mortuus est anno 1494, is autem quem nos habemus liber anno demum 1499 bibliothecae S. Marci est donatus secundum notam supra adscriptam. praeterea codicem a Politiano adhibitum et plura continuisse scripturasque eius ab hoc discrepuisse postea ostendemus, ubi de excerptis Politiani ipsis agemus.

2. De codice Cheltenhamiano C.

Cum in describendis codicibus, quoad fieri potest, adfinitatem eorum spectare mihi proposuerim, iam tractandus est codex Cheltenhamianus.

Est igitur hic liber bibliothecae Thomae Phillippsii, olim Mediomonti (Middlehill, Worstershire), nunc Cheltenhamii a Phillippsii genero Rev. Fenwick conservatae, insignitus numero 6912. in raro bibliothecae Phillippsianae catalogo[4]) haec exstat eius descriptio:

Ovidii Metamorphoseon cum glossis in margine et interlinearibus 4⁰ S. XIII

---

[4]) Vindobonae exemplar nullum exstare videtur; quae supra rettuli, ex exemplo quod est in bibl. regia Berolinensi in usum meum excussit S. Frankfurter amicus. De bibliotheca Cheltenhamiana eiusque catalogis cf.: K. Zangemeister, Sitzungsber. der phil. hist. Classe der kaiserl. Akad. d. Wiss. Bd. LXXXIV, S. 573 ff.

Digitized by Google

P. Ovidius de Pulice
D⁰ de Mirabilibus mundi
D⁰ de Medicamine faciei
de Medicamine Surdi.

Inscriptio libelli, quem tractamus, haec est exarata a m. 1:
Incip̄ o᷑. de medicamie faciei; subscr.:
Explicit lib᷑ de medicamı̃e faciei.

Codicem Cheltenhamianum accurate contulit H. S. Sedlmayer, cum ante hos duo annos in Britannia morabatur missus ab academia litterarum Vindobonensi[5]).

3. De codice Lugdunensi L.

Codex Lugdunensis (Ms. Periz. in Q. 7), chartaceus saeculi XV., miscellaneus, secundum catalogum bibl. publ. univ. Lugduno-Batavae a. 1716 p. 494 haec continet:

Pomponius Mela, Lentulus de forma Christi, Ovidius de Nuce et (fol. 47—48) *de Medicamine faciei* (ut videtur sine inscriptione), *Christiani Anonymi Chronicon ab ortu mundi ad Reges Ptolemaeos.* ad Nucis textum eum ut notae optimae adhibuit Aem. Baehrens l. c. Libellum de med. f. in meum usum accuratissime contulit Universitatis Lugdunensis bibliothecarius humanissimus W. N. du Rieu.

Libri, qui iam sequentur, omnes textum plus minus exhibent retractatum.

4. De codice Neapolitano priore N_1.

Codex Neapolitanus apud Ianellium numero CCLXI insignitus est membranaceus in folio parvo angusto, constans

---

[5]) Teste catalogo in bibliotheca Phillippsii etiam alius codex saec. XIII. continens libellum de medicamine faciei adservatur, quem cum aliis e bibl. Meermani emerat Phillipps (cf. Intelligenzbl. zum Serap. XXIII n⁰. 23). hic in bibliotheca Meermaniana t. IV. p. 116 (qui tomus impressus est a. 1824), unde descriptionem sumpsit Haenel sub n⁰. 1769, insignitus est numero 663, in exemplari catalogi Phillippsiani Berolinensi n⁰. 437, cum codices a Meermano comparati seorsim numerentur. insunt autem in eo secundum catalogum haec: Ovidii amorum ll. III, eiusdem pulex et somnium, eiusdem de Ponto ll. IV, eiusdem de vetula ll. III, idem de philomena, de medicamine aurium et faciei; idem de cuculo et de biria; eiusdem artis amatoriae liber I. et nonnulla ex libro II. Hunc codicem inspicere non contigit Sedlmayero.

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

foliis 58, scriptura Gothica litteris minutissimis exaratus ab Heinsio ad v. 88 saeculo XII. fere medio attributus[6]). Henricus Schenkelius, qui, cum ante hos duo annos Italiam peragrabat, hunc codicem diligenter excussit, eum incipienti saec. XIII. adscribit, id quod etiam scripturae discrepantia confirmat.

Insunt autem haec (cf. Ianelli, p. 181 sq.): P. Ouidii Nasonis

1. Libri tres de arte amandi,
2. Amorum libri tres,
3. Elegia de Philomena, ad quam in ora paginae Parrhasii, ut Ianelli suspicatur, manu adscriptum est: „*Talia nec fecit nec vidit carmina Naso*“,
4. Elegia de Pulice,
5. Carmen de medicamine aurium versuum 21 sic inscriptum: *Incipit liber Ovidii de Medicamine aurium,*
6. folio 54 De medicamine faciei libellus cum hoc titulo: *Incipit liber Ouidij de speculo;* subscriptio est nulla,
7. Elegia de Somno,
8. Elegia de Nuce (*Inc. liber Ouidii de Nuce*).

Quae secuntur carmina Pseudo-Ovidiana de cuculo, de humoribus corporis humani, de ludo Scacchorum, omnia haec attributa Ovidio, a manu saec. XV. sunt exarata.

Ad calcem libri haec leguntur „*Antonii Seripandi et Amicorum*“. prior autem libri possessor fuit *Aloysius de Gallutio*, cuius nomen secundum Ianellium post tertium librum amorum et in prima codicis pagina invenitur.

Ceterum hic codex Heinsio auctore hucusque vulgo omnium, qui libellum de med. f. exhibent, optimus immerito habebatur.

5. De codice Neapolitano altero N_2.

Codex Neapolitanus alter, numero CCLX notatus, membranaceus, foliorum 45 in quarto, scriptura Gothica exaratus est annis 1385—6 in domo *Gasparini de Sancto Vitale*, quod duae inscriptiones testantur.

---

[6]) dicit enim: *ante quingentos annos scriptus*, cum editio ipsa a. 1658—61 prodierit.

Digitized by Google

Insunt haec:

1. P. Ovidii Nasonis carmen in Ibin,

2. Q. Horatii Flacci Ars poetica,

3. Ovidii Nasonis libri tres (?) de Rem. am.,

4. Elegiae de Nuce versus primi 25 (inscriptio nulla, subscriptio: *Explicit Ovidius de Nuce*),

5. Animadversiones in libros Ovidii de Remedio Amoris,

6. Versus de medicamine aurium cum hac subscriptione: *Explicit Ovidius de Medicamine aurium. Deo gratias amen*,

7. fol. 33^{b} De medicamine faciei libellus, inscriptione quidem carens, at subscriptione hac adiecta: *Explicit ouidius de medicamine faciei amẽ*,

8. Poematium quoddam plus quingentorum versuum, ad cuius finem hoc legitur: *Explicit de Geta, de muliere mala.*

Accuratam huius codicis collationem debeo Henrico Schenkelio.

6. De codice Riccardiano R.

Codex Riccardianus, *M III num. I. 489* insignitus, est membranaceus saec. XIII., formae maximae (35·5 cm. altus 24·2 latus), foliis scriptis constans 80, per binas undequinquagenorum versuum columnas scriptura solida et perspicua exaratus. inscriptiones omnes a prima manu rubro sunt praescriptae, litterae initiales varie ornatae, glossae marginales paucae primo et alteri tantum folio adiectae.

Complectitur autem haec:

1. Heroides fol. 1^{a}—18^{a}; inscriptio: *Inciꝑ ouidii l. eꝑlar.*

2. Amor. III. 5 fol. 18^{a} col. 2.; inscriptio: *Incipit Ouidi' de Sõpno.*

3. Fasti fol. 18^{b}—43^{a}; inscr.: *Incipit Ouidius de fastis*,

4. Tristia fol. 43^{a}—61^{a}; inscr.: *Inciꝑ Ouidi' de tristib;*, subscr.: *Explicit liber Ouidii de tristib;*.

5. Ars amandi fol. 61^{b}—73^{a}; inscr.: *Incipit liber Ouidii de arte amãdi.*

6. Nux fol. 73^{b}—74^{a}; inscr.: *Incipit Ouidius de Nuce.*

7. Pulex fol. 74^{b}; inscr.: *Incipit Ouidius de Pulice.*

Digitized by Google

8. De medicamine aurium fol. 74^{b}; inscr.: *Incipit Ouidii de specl̃o medicamı̃s* (21 versus).

9. De med. f. fol. 74^{b} et 75^{a} cum hac inscriptione: *Incipit Ouidius de medicamine faciei.*

10. Philomela fol. 75^{b}; inscr.: *Incipit Ouidius de Philomena* (71 versus).

11. Ultimo loco exaratus est cento Vergilianus versuum 681 fol. 75^{b}—80^{b} cum hac subscriptione:

Mirandum mul } *tis*
Noscere si uul }
Monarcha ugili } *um*
Et testamen }
Opus explicit arte patra } *tum*
Constat sat[is] esse rela }
Per partes undique le } *git*
Vetus inde nouumq; pe }
Steph̃s canonicus do
minici sepulcri (in ras.)
hec cx dictis uirgilii compilavit.
Qui dedit expleri det nob̃ gaudia celi Amen.

Singulis versibus rubro superscriptae sunt notae locorum Vergilianorum; glossae adscriptae sunt huius modi: *Versus accepti a uirgilio coaptati Novo et veteri testamento, Et primum de mundi creatione, De quattuor anni temporibus, De prima die et operibus primae diei.* ultima glossa haec est: *Gauisi sunt discipuli uiso domino.*

Codicem hunc officiosissime mihi commodatum a scriptore bibliothecae Riccardianae ipse contuli Florentiae.

7. De codice Gothano G.

Codex Gothanus (*Membr. II n°. 120*) constans foliis membranaceis in 8° 53, Fr. Jacobsio, qui eum libro infra dicto accurate descripsit, saeculi XIII. esse videtur: Voigtius priorem codicis partem, quae etiam libellum de med. f. continet, saeculi potius XII. esse putat, posteriorem ineuntis XIII.; eidem litterarum ductus et quae sunt in scribendi ratione peculiaria originem Fran-

Digitized by Google

cogallicam prodere videntur. codex Gothanus secundum Jacobsii et Voigtii descriptiones[7]) haec continet:

Fol. 1—5 *Fragmenta epistularum ex Ponto,*
„ 6—46 *Heroides,*
„ 46 [*Ovidius*] *de speculo* i. e. poematium illud 21 versuum, quod vulgo *de medicamine aurium* vel *surdi* inscribitur, deinde post *Explicit de speculo:*
„ 46 *Incipit de medicamine faciei,*
„ 47[b] *Ovidius de Somno* (= Amor. III. 5.),
„ 48 *Elegia Nux,* quam secundum Voigtium sequitur initium Physiologi Theobaldi,
„ 51 *Dialogus de amore,* cuius initium vide apud Jacobsium l. c. p. 248. Ultimo loco post *Tetrastichon de fure in furno latente* legitur *fabula de lupo*, quam Voigtius edidit. l. c.

Variantes huius codicis lectiones ad libellum de med. f. enotavit vir doctissimus Fr. Jacobs l. c. p. 248, quae collatio fugisse videtur Merkelium. aliquot sane locis non satis constat, quid codex exhibeat, quia Jacobsius non addidit, quo textu usus sit in eo conferendo.

8. De codice Berolinensi B.

Codex Berolinensis prior (*Ms. Diez. B. Sant. 1.;* Merkelius falso his insignitum esse dicit: *b. D.* (= bibl. Diez.) *mss. fol. n. 123*) [8]), membranaceus, constans foliis 241, a Laurentio Santenio saec. XII. erat aestimatus, Merkelio posterior codicis pars non tam vetusta esse videbatur. equidem ex apographo, quod ad me misit J. S. Frankfurter amicus, pro certo habeo, eam libri partem, quae libellum de med. f. exhibet, saec. XIII. esse. scriptura simillima est codici Riccardiano. secundum indicem praefixum in Berolinensi insunt haec:

---

[7]) cf. Jacobs et Uckert, Beiträge zur ältern Litteraturgesch. I. 2, 247 sqq. et E. Voigt in dissertatione, cui inscripsit: „Kleinere lateinische Denkmäler der Thiersage aus dem zwölften bis vierzehnten Jahrh. = Quellen und Forschungen u. s. w., herausgegeben v. B. Ten Brink, W. Scherer, E. Steinmeyer XXV (1878) p. 3.

[8]) conf. Tristium edit. a. 1837 praef. p. XXXI.

Digitized by Google

Ovidius metamorphoseon..... *f. 1*
„ *fastorum*..... „ *123*
„ *epłarum* ..... „ *149*
„ *amorum sive de titulo*.... „ *169*
„ *de arte amandi*..... „ *182*
„ *de remedio amoris* ..... „ *193*
„ *de tristibus*..... „ *199*
„ *de ponto*..... „ *217*
„ *de ybide sive de in ibin*.. „ *233*
„ *de philomena*..... „ *236*
„ *de pulice* ..... „ *237*
„ *de somno, de nuce* ..... „ *237*
„ *de medicamine aurium* } „ *138*
„ *de medicamine faciei* }
(inscr.: *Inciꝑ Ovidius de medicamiẽ faciei*
subscr.: *Explicit Ovidi' de medicamiẽ faciei*)
„ *de cuculo, de fuco* .....*f. 239.*

Metamorphoseon textum sequitur summa, quae iis vulgo addi solet cum hac subscriptione: *Explicit summa memorialis Ovidii metamorphoseos composita a magistro Enrico de Capriana cive mantuano.*

Enricus de Capriana
mantuanus.

Merkelio (qui: *Capiana* dedit) hic prioris partis possessor esse videbatur.

De fatis huius libri teste Merkelio posteriori parti haec sunt subscripta prope evanida:

„*MCCCCXLVI de mense maii. Ego petrus malgarisius notarius patavinus emi hunc librum a mo. Francischino cartulario ducatis septem, tum dimidio auxi. C. 241 continet*". postea subscribunt, qui eum deinceps possederunt:

Iani Parrhasii et amicorum sex aureis emptus Patavii.

Antonii Seripandi (cf. N_1) *ex Iani Parrhasii testamento.*

Ex bibliotheca Askewii a. 1785 mihi comparavi Laur. Santenius.

Ex bibliotheca Santenii emi H. F. de Diez a. 1800.

Libellum de med. f. in usum meum accurate excussit J. S. Frankfurter.

Digitized by Google

9. De codice Laurentiano priore l_1.[9])

Codex Laurentianus plutei XXXVI. 2, constans foliis 225 membranaceis, 30 cm. altis, 19·5 cm. latis, nitide ac perspicue scriptus est exeunte saec. XV. inscriptiones omnes litteris uncialibus rubris nitide sunt exaratae; glossae emendationesque fere nullae deprehenduntur; totus codicis habitus et scriptura simillima sunt Vindobonensi priori.

Hic liber, quem ab N. Heinsio collatum esse supra diximus, continet haec [10]):

P. Ovidii Nasonis De artibus amandi (libri III) ..... f. 1
" " " *De remedio amoris* (libri II) ..... " 34[a]
" " " *Heroidarum liber* ..... " 46[a]
" " " *De sine titulo liber* ..... " 100[a]
" " " *De Tristibus* (libri V) ..... " 136[a]
" " " *De Ponto* (libri IV) ..... " 187[a]
" " " *In Ibim* ..... " 232[a]
" " " *Consolatio ad Liviam Augustam de Morte Drusi Neronis filii eius, qui in Germania morbo periit* ..... " 241[a]
Nasonis Nux ..... " 248[a]
P. Ovidii Nasonis de Medicamine faciei libellus ..... " 250[b]
Pulex Ovidii ..... " 252[a]
Philomena Ovidii ..... " 252[b]
P. Ovidii Nasonis vita ..... f. 254[a]—255[b]

Ipse contuli Florentiae.

10. De codice Urbinate u.

Codex Urbinas insignitus n° 347, membranaceus, foliorum 413 formae maximae, saec. XV. exaratus (accuratius aetatis indicium nullum omnino deprehenditur) carmina Ovidiana et Pseudo-Ovidiana hoc exhibet ordine:

1. Metamorphoses, 2. Heroides (etiam epistula Sapphus), 3. Amores, 4. Ars amatoria, 5. Remedia amoris, 6. Ibis, 7. Fasti, 8. Tristia, 9. Ep. ex Ponto, 10. Philomena (sic), 11. (fol. 410[a]—

---

[9]) conf. C. Schenkl, Wiener Studien II. p. 57.

[10]) Transscribo titulos, qui in codice ipso exstant.

Digitized by Google

411[a]) Libellus de med. faciei (inscr.: *P. Ovidii Nasonis Sulmonensis de medicamine faciei libellus incipit;* subscr.: *P. Ovidii Nasonis Sulmonensis de medicamine faciei libellus foeliciter finit*), 12. Nux.

Accuratissimam huius codicis, ex quo editionem Bononiensem ductam esse postea demonstrabimus, confecit Sedlmayer meus, dum nuper Romae commorabatur. praeter hunc librum etiam alii in bibliotheca Vaticana exstare videntur, qui libellum nostrum continent[11]); quos tamen in misera adhuc catalogorum Vaticanorum condicione invenire non contigit Sedlmayero. ceterum neque Heinsius, cui ut paucis copias Vaticanas perscrutari licuit, ad hoc quidem, quod tractamus, opusculum codicem Urbinatem, quem supra descripsimus, adhibuit, nisi forte maximae neglegentiae eum vis incusare in enotanda scripturae discrepantia.

II. De codice Laurentiano altero l_2.

Codex Laurentianus plutei XCI. sup. 26, est chartaceus in 8° constans foliis 122, multifariam correctus et glossis cum marginalibus, tum interlinearibus refertus, scriptus a. 1464, id quod haec testatur subscriptio ultimo folio adiecta:

Ioannes Sulpicius (supra lineam) *uerulanus exscripsit hoc opus °1464 Sextilis die qnto decimo: dō grās.* Insunt autem haec:

1. *Sappho vates Lesbida ad Phaonem Siculum* fol. 1—5[a].

2. *In iocis Galli poetae* fol. 5[b], poematium 25 versuum, cuius initium est:

Lidia bella puella candida,
Quae bene superas lac et lilium
Albamque simul rosam rubidam... (Anthol. Lat. rec. A. Riese I 2. p. XLI).

3. Praeceptum medici cuiusdam, nisi fallor, fol. 6[a]; f. 6[b] et 7 sunt vacua.

4. *Ars amandi* fol. 7[a]—51[b]. Ad III 205 (*Est mihi quo dixi vestrae medicamina formae*) in margine adscriptum est: *Opus de medicamiẽ faciei.*

---

[11]) ad v. 3 Ciofanus adnotat „*ambo Vaticanos*“ praebere *humum sterilem*, Urbinas quem supra descripsi habet: *humum quondam.* Heinsius nota supra adscripta dicit *unum Vaticanum* inscribere *de Ornatu faciei.*

Digitized by Google

5. De medicamine faciei fol. 52ª—53ᵇ (inscriptio nulla proponitur; subscriptio: τέλως).

6. *P. Ovidii Nasonis opusculum de Remedio amorum* fol. 54ª—69ᵇ.

7. *P. Ovidii Nasonis opus de Amoribus vel sine titulo;* fol. 70ª—122ª.

Et hunc ipse excussi.

12. De codice Magliabechiano m.

Codex bibliothecae Magliabechianae Florentiae *V cl. VII 966*, chartaceus saec. XV., glossis et marginalibus et interlinearibus instructus foliis scriptis 46 haec continet:

1. De arte amandi libros tres inscriptione carentes; subscriptum est: *Explicit liber Ovidii de arte amandi.*

2. De nuce elegiam (*Incipit liber Ovidii de nuce*).

3. Libellum de med. fac. (*Incipit liber Ovidii de medicamine faciei*).

4. Amor. III 5 (*Incipit liber Ovidii de sõpno*).

5. Carmen de medicamine aurium (*Incipit liber de medicamiñ auriũ*).

6. Elegiam de pulice (*Incipit de pulice...*; *Explicit liber de pulice*).

Secuntur quattuor folia vacua. Ipse contuli.

13. De codice Vindobonensi priore v_1.

Codex Vindobonensis numero 102 insignitus in tabb. codd. mss. (Endl. CXLVIII.), membranaceus saec. XV. nitidissime scriptus, foliis 343 carmina Ovidiana et Pseudo-Ovidiana haec continet:

§1. Heroides, 2. Amores, 3. Artem amandi, 4. Remedia amoris, 5. Fastos, 6. Tristia, 7. Ex Ponto, 8. Ibin, 9. De medicamine faciei libellum, ex docti alicuius arbitrio sic inscriptum: *P. Ovidii Nasonis de facie fucanda et decoranda*, 10. Elegiam de pulice, 11. El. de philomela, 12. Eleg. de nuce. (Sedlmayer in Proleg. crit. ad Heroides Ovid. p. 11 hunc librum significat nota v_2.)

14. De codice Vindob. altero v_2.

Codex Vindobonensis alter insignitus numero 3458*, est chartaceus saec. XV., foliorum in 4° 70, multifariam correctus

Digitized by Google

exhibetque haec carmina Ovidii: 1. Artem amandi, 2. Libellum de medicamine faciei cum hac inscriptione: *P. Ovidii Nasonis de Facie*, 3. Amor. I 5 (*Ad Corinnam de amica ad amicum veniente*), 4. Remedia, 5. Ibin.

Utrumque Vindobonensem ipse contuli.

15. De codice Musei Britannici b.

In bibliothecae musei Britannici collectione quae dicitur Sloaniana sub n° 277 adservatur codex membranaceus saec. XV. miscellaneus, qui inter carmina Pseudo-Ovidiana libellum de med. f. exhibet inscriptione hac praefixa: *Medicamentum faciei Ovidii.*

Quae praeter ea hic liber contineat, edocemur librorum manu scriptorum, qui olim fuerunt Sloanii, indice [12]), ubi singulae partes ita enumerantur male dispositae et inscriptae:

1. Carmen de cultura hortorum, 2. P. Ammonius (sic) *Serenus, carmen de medicina, 3. Corn. Severus, de morte Ciceronis carmen, 4. Carmen de Germanico navigante per Oceanum, 5. Lucius Calpurnius, Bucolica, 6. Corn. Severus* [*Eques Romanus*], *de Aetna poema, 7. Ibis, 8. Pulex, 9. De med. fac.* (in catalogo II. p. 823 additur: *Pulex et medicamentum faciei putantur esse codices illegitimi*), *10. Nux, 11. Epistola Phaoni apud Ovidium, 12. De Virgilio, disticon Virgilii, 13. Alchimus, (?) 14. Cornelius Gallus, Poemata, 15. Quantum potest fortuna, 16. De Orpheo, 17. De vino et Venere, 18. De ortulo, 19. De livore, 20. De cantu Syrenum, 21. De moribus, 22. Argumenta in libros Aeneidum Virgilii.*

Collationem huius libri officiosissime mecum communicavit Sedlmayer.

16. De codice Berolinensi altero c [13]).

Codex Berolinensis alter (*ms. Diez. b. Santen. 4*) formae quadratae chartaceus constans foliis 190 (6—195, quinque primis

---

[12]) Catalogue of the manuscripts preserved in the British Museum... Collection of Sir Hans Sloane... by S. Ayscough, Clerk... London 1782, 2 voll.

[13]) Vid. Bethmann in Pertz' Archiv etc. VIII. 852 sq., Voigt l. c. p. 3, Merkel ed. Trist. p. XXXIV.

Digitized by Google

deperditis), quorum 168 (6—174^{b}) perscripta sunt in Francogallia inde a die III. mensis Julii 1443 usque ad V. Mai a. 1444, reliqua, quibus continetur Pindarus Thebanus, scripta sunt ab A. Beleviegne quodam, qui nomen suum ter subscripsit. insunt autem in hoc libro, cuius accuratam collationem et descriptionem ad me misit Frankfurter, haec:

1. Catonis disticha, 2. Ovidii Remedia am., 3. Ovidii Heroides, 4. Ovidii Tristia, 5. Ovidii Ars amat., 6. Ep. ex Ponto, 7. Nux, 8. De somno, 9. De cuculo, 10. De pulice, 11. De annulo, 12. De medicamine aurium, 13. De philomena (sic), 14. De lupo, 15. De mirabilibus mundi, 16. Ibis, 17. De medic fac. (inscr.: *Incipit de medicamẽ faciei*, subscr.: *Explicit O. de medicamine faciei*), 18. De vetula, quam haec sequitur subscriptio: *Inceptum fuit h' volumine III die mensis Iulii anno XLIII et finitum V die mensis maii anno Revoluto*, 19. Maximiani elegiae, 20. Pindarus Thebanus.

Saeculo XVIII hic codex fuit Crevennae cuiusdam nummularii, in cuius catalogo teste Voigtio insignitus est numero 3666; a Crevenna eum emit Santenius. textum opusculi, quod tractamus, hic codex mire turbatum exhibet atque dilaceratum; omissis enim versibus 46, 55, 56, 77—84, 91, 92 reliquos hoc ordine habet dispositos: 1—45, 47—50, 73—76, 51 (audacter mutatum), 53, 52—54, 57—73, 85—90, 93—100.

Post versum 50 nota quaedam unius lineae celeri calamo est exarata, qua librarius fortasse lacunam inter vv. 50 et 51 hiantem voluit significare; neque tamen id quicquam facit ad augendam huius libri auctoritatem, quippe qui ut plerique huius aetatis sit retractatus.

17. De fragmento Parisino p. [14])

In codice miscellaneo bibliothecae nation. Paris. 6707. chartaceo olim Colbertino, qui folio 183 numerum anni 1466 habet inscriptum, post illa: de pulice, de somno = Am. I 5, de medicamine surdi, adiuncta codici paullo post annum 1466, folio 230^{b} leguntur huius libelli versus triginta (inde a primo usque ad tricesimum primum). quos versus in usum meum singulari

[14]) cf. Melot t. IV. p. 419.

Digitized by Google

benignitate contulit vir clarissimus L. Delisle, bibl. nat. director, adiecta libri descriptione. inscriptio in eo haec legitur: *Sequitur Ovidius de medicamine faciei*; post v. 30 eadem manus, quae carmen exaravit, adscripsit: *Nescio si plus sit.* triginta hi versus ex anthologia aliqua huc transscripti esse videntur iisdem vitiis quibus in plerisque huius aetatis codicibus inquinati.

18. De codice Guelferbytano h.

Denique commemoro codicem Guelferbytanum olim Helmstadiensem 336, de quo in praefatione pauca exposui. est autem hic liber chartaceus, constans foliis 165 formae maximae, scriptus, ut Merkelio videtur (ed. Teubn. I, p. VI), anno 1440 aut 1470; Loersius (ed. Her. p. X) eum post ipsa artis typographicae initia exaratum esse dicit et ab Heinsio non ita, ut par erat, collatum. quae continentur eo enumerat Sedlmayer, cui est g_2, l. c. p. 15; neque tamen de iis satis constat; Merkelius enim etiam Nucem in eo inesse dicit, cum nihil de Nuce dicat Sedlmayer. scripturae huius codicis refingendae mihi erant e Merkelii editione Teubneriana et collatione in Iahnii usum facta a Silligio [15]).

Praeter hos libros manu scriptos mihi praesto erant collationes utriusque editionis principis, Bononiensis a. 1471 et Romanae anni eiusdem; hanc, cuius exemplar in bibl. palatina Vindobonensi exstat sign. *25. C. 11*, accuratissime descriptum a Sedlmayero l. c. p. 25 sqq., ipse contuli, editionis rarissimae Bononiensis, cuius quod sciam nunc primum enotatur discrepantia scripturae, exemplar adservatum in Museo Britannico (*Greenville Collection n° 10035—6*) excussit et collationem solita liberalitate mecum communicavit Sedlmayer. haec editio[16]), quam

---

[15]) Codicum duorum, dico Mentelianum et Bodleianum, scripturas cum sero accepissem eo tempore, quo hae chartae prelo subici debebant typographico, nihil aliud restabat nisi ut eas tamquam appendicem adiungerem. quam in appendicem reieci quoque accuratam libri utriusque descriptionem.

[16]) Cf. de edit. Bonon. Panzer, Annales typogr. I. 204, Schweiger, Handbuch der class. Bibliogr. II. 2. 623. Ebert, Allg. bibliogr. Lexicon II. 256 n° 15338. Exemplar quod in Museo Brit. exstat, praeter illud, quod Cantabrigiae adservatur (*King's College M. 63, 1*), unum huius editionis esse integrum Carolus Schenkelius suspicatur W. Stud. II p. 56.

Digitized by Google

curatam a Francisco Puteolano Parmensi Bononiae a. 1471 edidit Balthasar Azoguidus civis Bononiensis, secundum tabulam folio 4ª propositam (*Tabula earum rerum quę sũt ĩ hoc uolumine*) Ovidii carmina hoc ordine habet disposita:

1. Epistolae, 2. Amorum libri III, 3. De arte amandi et de remedio amoris, 4. Metamorphoseon libri XV, 5. Invectiva in Ibin, 6. Fasti, 7. Tristia, 8. De ponto, 9. De pulice, 10. Philomela, 11. De medicamine faciei, cui libello haec adiecta est subscriptio: *P. Ovidii Nasonis de medicamine faciei libellus explicit fęliciter, 12. De nuce.*

Praeter editiones principes, quo facilius perspici possit, quae ratio inter has et reliquarum editionum veterum potissimas intercedat, integras inserui collationes Venetarum primae et alterius a. 1474 et 1486 (Sedlm. l. c. 27 sq.), editionis Parmensis anni 1477 (Sedlm. p. 31), Aldinarum primae a. 1502/3[17]) et secundae a. 1515/16, quae omnes adservantur in bibl. palat. Vindob. editio Aldina secunda eo potissimum est notabilis, quod in ea crisis Ovidianae prima exstant initia facta ab Andrea Naugerio (Navagero), uno ex doctis academiae Aldinae. huius notae criticae (*Annotationes in omnia Ovidij opera*) praemissae sunt volumini Metamorphoseon libros continenti, quod impressum est „*Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri Mense Februario MDXVI*“. cum his notis coniungenda est quae eas sequitur appendix cui inscribitur: „*Impressorum errata sic corrigito*“. ceterum cum alias tum etiam in Bernhardyi novissima editione historiae litt. Rom. (a. 1872) p. 549 errorem deprehendas e loco in bibl. Latina Fabricii (Venet. 1728, II p. 31) perperam, ut videtur, intellecto propagatum, Naugerii curam criticam iam in Aldina prima anni 1502/3 exstare. sed nihil in hac novam prodit textus recensionem, in alterius autem Aldinae, quam dedicavit Bernhardo Divitio cardinali, Andreas Asulanus dicit recensionem ipsam ad Naugerium esse referendam[18]).

---

[17]) Cf. de hac editione A. A. Renouard, Annales de l'imprimerie des Alde etc. (Paris 1825), I² anni 1502 n°. 13 sq., A. F. Didot, Alde Manuce (Paris 1875) p. 224 sqq.

[18]) *Ovidius.... nunc ex officina nostra is prodit, ut qui prius multis in locis corruptissimus circumferebatur, in eo pauca admodum*

Digitized by Google

His tamquam additamentum pauca quaedam subiungam, quae etsi minoris momenti sunt ad opusculum de med. f., tamen cum ad reliquorum carminum Ovidianorum crisim factitandam aliquid possint conferre, commemoranda esse videntur.

Ac primum quidem dicam de Politiani quae vulgo dicuntur excerptis, de quibus quae hucusque enotuerunt manca sunt nec satis accurata.

Excerpta igitur Politiani vulgo vocabatur Ovidii editio Parmensis a. 1477, quam A. Polit. collationibus vetustorum praestantiumque codicum exornaverat atque emendaverat, servata olim in bibliotheca conventus S. Marci Florentiae, ubi eam complures viri docti adhibuerunt atque excerpserunt. Etenim anno 1640 inde nonnulla J. Fr. Gronovius transscripsit in pugillares suos[19]), qui nunc in bibl. regia Berolinensi adservantur (*b. D. mss. 8. 176*), paullo post N. Heinsius eandem excussit teste Merkelio (ed. Trist. p. XXXIII), postremus, quod sciam, eam vidit atque adhibuit Bandini, qui in praefatione tomi IV catalog. codd. lat. bibl. Medic. Laur. p. XXXVII sqq., quae scripta est die 24. Julii a. 1777, fusius eam descripsit. Occurrit praeterea huius editionis mentio in praefatione editionis Ovidii Barbavianae (Parisiis, Barbou) a. 1762, ubi haec leguntur: „*...Tantummodo inseruimus castigationes quantivis pretii, quas nobis communicavit vir harumce rerum intelligentissimus idemque humanissimus D. Heerkens Groninganus, descriptas ex Ovidio impresso, qui fuit Angeli Politiani asservaturque Florentiae in bibliotheca Medicea, quas ille ...eiusdem libri oris ex manuscriptis codicibus alleverat*". in his illud *Medicea* errore scriptum esse videtur pro *Marciana*, cum vel quindecim annis post ipse Bandini verbis disertis hanc nominet. ceterum equidem nescio quid illis faciam; neque enim in editione Barbaviana

---

desyderari posse videantur. Id adeo Andreae Naugerio referre acceptum debemus: qui, cum illum ex veteribus permultis exemplaribus diligentissime castigasset: labores suos impertiri omnibus voluit, ac mihi inprimendum dedit. De ed. Naugeriana cf. F. Renouard, l. c. anni 1515 n° 4 et a. 1516 n° 1, 2; A. F. Didot, l. c. p. 403 sqq.

[19]) Cf. Sylloge epistul. a viris ill. script. coll. P. Burmann t. III. p. 121.

Digitized by Google

tria omnino volumina comprehendenti, quae nudum utique textum praebent, ulla exstant excerptorum illorum vestigia.

Gravissimum autem horum excerptorum pretium illud est, quod Politianus libros Tristium et Amorum et Nucis contulit cum vetusto codice bibliothecae Marcianae, qui nunc deperditus esse videtur. exstabant enim in editione illa hae notae teste Bandinio Politiani manu adscriptae [20]): Ad libros Amorum: „*Contuli[t] cum vetustis duobus exemplaribus altero Marciae bibliothecae, altero Medicae. Illud a littera significatur, hoc littera b. 1493. die 27. Septembr. hora circiter tertia noctis in rusculo*“ (sc. Faesulano). ad libros Tristium: „*Contuli hos quinque Tristium Libros cum vetustis duobus codicibus se* (recte *sed*) *vetustiore non nihil altero ex D. Marci Florentia bibliotheca, quod littera a indicat, altero autem non perinde vetusto ex Medica Libraria, quod b littera significatur. Ubi uterque congruit codex nihil apponimus signi. Observavi autem, quod soleo, ut de meo nihil addiicerem, utque ne illa quidem omitterem, quae mendosa esse liquebat, die 27. Iulii 1493 in Pauli adiutoribus Nicholao Baldella et Roberto Minutio familiaribus*“. denique in calce libelli de Nuce haec adscripsit: „*Contuli cum exemplari ex D. Marci Bibliotheca Libellum hunc de Nuce die 21. Iulii 1493*“. Fastorum collatio cum „*uetusto codice*“ ab eodem Politiano facta nullius est pretii, quia codex ab eo collatus ipse nobis praesto est, Ursininianus (cf. Merkel, ed. fastorum a. 1841 p. CCLXXXIII.). praeter has collationes Politianum notas criticas ad epistulam Sapphus, ad Artem, Remedia amoris, Ibim, alia adscripsisse docemur apographis Gronovianis.

Sed ut iam de Politiani codice Marciano dicam, etsi non possum proferre, qui ille fuerit, tamen Marciano qui nobis praesto est (*M*) virum illum doctum usum non esse, quod suspicatus est Merkel, extra omnem dubitationem est positum. etsi enim editio illa Parmensis a. 1477 Politiani collationibus et notis exornata a bibliothecis Florentinis iam ab ineunte hoc saeculo exulat, ut vir praestantissimus N. Anziani epistula ad me missa mecum

---

[20]) Gronovium, e cuius pugillaribus quae huc faciebant excerpsit Frankfurter, non omnia transscripsisse video. Heinsii apographa non invenire contigit in amplo apparatu eius item Berolini adservato.

Digitized by Google

communicavit, tamen integrum exstat omnium, quae Politianus adscripserat, apographum, quod damnum illud compensaturum esse videtur. adservatur enim, id quod eidem Anzianio debeo, in bibliotheca publica Monacensi (bibl. P. Victorii) Ovidii editio Parmensis a. 1489, in qua hoc legitur adscriptum a Puccio, Politiani discipulo: „*Contuli cuncta Ovidii opera cum codice qui fuit Angeli Politiani, quem ille multis antiquis codicibus conlatis studiose emendaverat; is nunc adservatur in D. Marci bibliotheca. Summam adhibui diligentiam, ne quid quod in istius chirographo notatum esset, omitterem P.*“ (i. e. *Puccius*). id cum comperissem litteris adii virum doctum Guilelmum Meyer, bibliothecae Monacensis praefectum, impetravique ab eo, ut notas ad Nucem et libellum de med. f. adiectas in usum meum describeret. sed frustra speraveram Politianum etiam ad hunc libellum codicum quorundam adnotavisse scripturas; neque enim quicquam aliud ad hunc legitur adscriptum nisi notae ad res in textu ipso commemoratas spectantes huiusce modi: ad v. 3 *de cultu*, v. 7 *Tecta auro lita*, v. 10 *Sectile ebur*, v. 11 *Tatius*, *Sabinae*, v. 19 *positu* (in textu ipso legitur *qositu*), v. 21 *Lapides in auribus*, v. 30 *Athos*, v. 33 *Pavo*, v. 94, in quo editio illa habet *armoniaco*, expuncta littera *r* in margine adscriptum est *Sal aṁoniacū*; quae ad v. 70 desperatum erant adnotata, plane sunt evanida.

In calce libelli haec adiecit Politianus: „*Puto hoc imperfectum esse opusculum; nam esse Ovidii pro certo habeo, uel quod Ovidianus scribendi color est, uel quod pro suo libellum hoc titulo ipse agnoscit.*“ neque tamen ex eo, quod ad hoc opusculum Pol. adiecit nullas scripturas, pro certo poni potest, in codice eius Marciano illud non exstitisse. immo sive quod tam levis erat scripturae discrepantia, ut eam indicare operae pretium non esse videretur, sive propter exiguum libelli ambitum Politianus omittere potuit, quod adiecit in ceteris.

Sed ut hac digressione facta ad rem ipsam revertar, Nucis lectiones variantes ex apographo illo Monacensi descriptae tales sunt, ut ipsa luce sit clarius Politianum neque Marcianum, qui nobis praesto est, neque eum, unde hic derivatus est, adhibuisse, sed librum compluribus gradibus ab eo distantem et, si rationes a Baehrensio l. c. expositae verae sunt, fortasse non nihil vetustiorem.

Digitized by Google

Neque vero in Tristibus, quatenus Politiani excerpta in apparatu Merkeliano commemorata cum lectionibus Marciani 223, comparare licuit, ullus deprehenditur consensus. (I 5, 62 M: *Detulit in geticos sarmaticosque sinus*, primus Politiani: *D i. geticos sarmatis ora sinus* (?); I 5, 53 M: *infragilis*, prim. Polit.: *infragili;* I 8, 41 M: *circum praecordia neue*, Polit. prim.: *circum praecordia nati.* de lectionibus ad Nucem adscriptis data occasione fusius disputabo).

Sed ne longus sim, quicumque novam eorum Ovidii carminum editionem curare voluerit, quae Politianus cum codice illo Marciano nunc deperdito contulit, in primis libros Tristium, priusquam hic ipse erit inventus, ante omnia apographo illo Monacensi a Puccio facto uti debebit. neque tamen omnis spes est abicienda illum ipsum aliquando posse inveniri, quamquam eum iam Politiano a. 1494 mortuo a quodam sublatum esse suspicari licet e nota, quae teste Bandinio in editione illa Parmensi a. 1477 Metamorphoseon libris erat praefixa: „*Liber Conventus S. Marci de Florentia Ord. Praed. habitus a Syndicis die 19. Januarii 1497 pro compensatione librorum, qui commodati ab eodem conventu fuerant D. Angelo Politiano, et in eius morte amissi sunt. In bancho 27. occidentis.*“

Atque haec quidem de excerptis Politiani.

Quod ad *codicem Patavinum S. Antonii* ab Heinsio ad v. 70 et alias commemoratum attinet, hic neque in Minciotti huius bibliothecae catalogo[21]) indicatur, et frustra eum ipse quaesivi in catalogis eiusdem bibl. manu scriptis, quos perlegendos mihi officiose commodavit rev. bibliothecarius. fuit hic codex — recentioris, ut videtur, aetatis — sine dubio in numero eorum, quos ex hac bibliotheca direptos in alias cum publicas tum privatas bibliothecas migrasse dicit Blume in Itinere Italico et in Indicibus bibliothecarum Italiae.

Ceterum hoc damnum non ita magnum est, quia lectiones ab Heinsio excussae librum produnt misere inquinatum.

Denique hoc loco iniciam falsum esse, quod in Haenelii catalogis codicum sub bibliothecae Einsiedlensis numero 200 legitur: „*Ovidii opera saec. XI. membr.*“ hoc enim numero in-

---

[21]) Catal. dei codd. Mss. nella bibl. di S. Antonio di Padova. Pad. 1842.

Digitized by Google

signitus est codex, quo Germanici Aratea continentur, neque ullus in illa bibliotheca exstat liber saec. XI. Ovidii opera comprehendens, id quod benigne mecum communicavit reverendissimus bibliothecarius Gabriel Meier.

Apparatu critico iam descripto de rationibus, quae inter singulos libros intercedant, disputaturus hoc proponam me pro exiguo poematii ambitu non ausum esse certum eorum stemma construere, ne incertas rimari viderer coniecturas; tamen haec fere statui posse puto.

Tria potissimum codicum, quos enumeravi, possunt distingui genera, primum, quod textum plus minus servavit integrum (codd. *M CL*), alterum codices saec. XIII. plerumque comprehendens N_1 *R B G Mentel.*, quod manifesta prae se fert novae recensionis vestigia, tertium, cuius sunt reliqui omnes, quod longius etiam procedente corrigendi vel potius mutandi libidine magis doctorum saec. XV. studia quam poetam ipsum repraesentat.

Codex autem et primi illius generis et omnium, qui exstant, longe praestantissimus est *M*, ex quo utique suspendenda est crisis libelli, quem tractamus. qui in hoc deprehenduntur errores plerumque aut tales sunt, quales vel in antiquissimis et optimis vel transscribendo vel calami lapsu ortos esse videmus, aut ad commune omnium quot exstant archetypum sunt referendi. in numero illo habenda sunt vitia huiusmodi: v. 11 *tanto* pro *tatio*, v. 13 *prebens* pro *premens* et v. 90 *prebendus* pro *premendus*, v. 19 *vultus* pro *vultis*, v. 21 *stridente* pro *oriente*, v. 35 *si* pro *sic*, v. 65 *bulli* pro *gum*[*m*]*i* ex antecedenti *bullos* pro *bulbos*, v. 76 *tristis* pro *tritis*, similia.

Ad commune autem archetypum referendae sunt corruptelae in vv. 2, 35, 44, 70, 97, al. (de libris *CL* aptius postea agetur).

Sed cum talia vitia facili negotio deprehendantur et perspecta librarii fide corrigendi operam reddant faciliorem, lectiones codicum s. XIII. N_1 *R B G Menteliani*, quod alterum genus esse diximus, plerumque eae sunt, quae correctoris manum prodant, unde ne iis quidem locis, quibus *MCL* vel *M* unus scripturam manifeste corruptam exhibent, illorum autem unus alterve probabilem praebet lectionem, iis plane fidem habere, sed utrum

Digitized by Google

probabilis haec lectio archetypo an correctori debeatur, iure licet dubitare. lectionum, quae manum corrigentem produnt, haec affero specimina ita, ut litteris diductis scripturam genuinam significem[22]):

v. 4 semina: munera *M*;
v. 17, 24, 35 nostrae, nostra, nos: vestrae, vestra, vos *M*;
v. 17 teneras matres peperere puellas: matres teneras p. p. *M*;
v. 20 conspicuas manus: conspicuam manum *M*;
v. 21 lapides oriente paratos: l. stridente (*i.e.* oriente) petitos *M*;
v. 23 non: nec *M*;
v. 27 [paret... veneretur: parent venerentur *M*];
v. 29 illos, v. 30 cultos: illas, cultas *M*;
v. 39 scinduntur (*et alia*): finduntur *M*;
v. 70 frugiferae: frige fere *M*;
v. 77 da: de *M*(?);
vv. 99 sq. *varia*: contereret. illineretque *M*;

Sed cum hae scripturae complurium plerumque codicum sint communes, audaciores etiam in singulis exstant e librariorum arbitrio illatae, et qui hucusque optimus habebatur N_1, in suspectissimorum numero est habendus, ut qui non solum ea, quae adscripsi, omnia habeat corrupta, sed alia etiam singularia, ut haec:

v. 3 pandere *pro* pendere,
v. 11 puellae *pro* Sabinae,
v. 13 sedens (*propter* sedile) *pro* premens,
v. 26 At (Aut) *pro* Et,
v. 27 quique *pro* quaeque,
v. 29 fugiuntque *pro* finguntque, (*etsi illud error tralaticius esse potest*),
v. 32 forma suaque grata est *pro* grataque forma sua est (suast *M*),
v. 51 Sic age *pro* Dic age,
v. 51 dimiserat *pro* dimiserit,

---

[22]) Quod singulis locis non omnes huius familiae libri in scriptura mutata consentiunt, non obstat, quominus omnes ad idem exemplar, recensitum scilicet, redire statuamus. etenim si unus alterve hic illic cum *M* facit, certe locis multo pluribus lectionem e coniectura petitam exhibet, ita ut ei fides fere nulla sit tribuenda. sine dubio is, qui textum retractandum suscepit, munere suo infausto ita functus est, ut passim scriptura de suo illata aut quod genuinum fuerat superscriberet vel adscriberet. aut invicem, ita ut librariis inde describentibus liberum esset eligendi iudicium; quorum qui religiosior erat, utrumque transscribebat.

Digitized by Google

v. 54 erue *pro* exue,
v. 55 herbae *pro* ervi,
v. 65 Sextantesque *pro* Sextantemque,
v. 66 hic *pro* huc, post *pro* plus,
v. 85 radianti corpora vitro *pro* radenti corpora nitro,
v. 92 queque *pro* quinque.

Talis igitur codicum saeculi XIII. indoles novam atque audacem prodit textus Ovidiani recensionem, cuius equidem et hoc deprehendisse mihi videor indicium. in codicibus $N_1 R B G N_2$ et Cheltenhamiano altero (cf. p. 10, adn. 5), quorum textus manifestissima huius recensionis prae se ferunt vestigia, ante libellum de medicamine faciei inter Pseudo-Ovidiana antecedit poematium 21 versuum, quod vulgo *de medicamine aurium* vel *surdi* vocatur[23]), in codicibus autem ipsis etiam *de speculo* inscribitur; in *G* haec inscriptio legitur: *Ovidius de speculo*, in *R*: *Ovidii de speculo medicaminis*; in codice bibliothecae Amplonianae (n° 15 in 8°, Kritz n° 49.) saec. XIV. secundum Voigtium l. c. p. 23 eidem tituli loco praefixum est: *Ovidius de medicamento.* in codice Neapolitano priore autem libellus de med. f. ipse mirum in modum inscribitur: *liber Ovidii de speculo.* quod autem maximi est momenti, poematii illius disticha prima sex (vid. adn. 23), metro elegiaco composita, tamquam praefationem corpusculi cuiusdam medicaminum continere videntur, cum versibus demum 13—21, meris hexametris, de aurium medicamento ipso agatur. haec omnia probabilem mihi faciunt coniecturam ei, qui ante saeculum XIII. Ovidii textum recensuit, id fuisse consilium, ut tamquam com-

---

[23]) Cf. L. Mueller, Mus. Rhen. XVII. 257 sq. Codex *R* disticha prima sex sic exhibet:

Ne tibi displiceam, quia sic sum corpore parvus,
Ortulus iste brevis mitia poma gerit.
Plurima doctorum sunt hic experta priorum
Hinc, lector, sumas, quae meliora putas.
Materies monstrat tibi, quae medicamina constant,
Teque quid amplecti, quidve cavere decet.
Si fueris dives, quae sunt pretiosa require;
Si nummis careas, elige quod valeas.
Nec nos contempnas, viles cum videris herbas:
Quod leve componas, grandius esse solet.
Caelestis medicus, cuius manus omnia pensat,
Mirandum prodit, quod tibi vile fuit.

Digitized by Google

pendium variorum medicaminum conderet, quorum praefatione proposita primum esse voluit *aurium*, Pseudo-Ovidianum scilicet, alterum *faciei*. atque inde explicatur „speculum“ illud, quod nomen de compendiolis huiusmodi tunc usitatissimum fuisse notum est; certe speculi notio omnino non quadrat ad ea, quae in poematio de medicamine aurium toto tractantur.

De codicibus huius familiae unum hoc adiciam, artiore vinculo coniunctos esse $N_1 R$, quorum hic aliquot locis genuinam lectionem servasse videtur.

Tamquam medium inter *M* et alteram quam diximus familiam locum obtinent libri *CL*. hi enim cum plerumque cum *M* faciant, unde eos primae familiae cum illo adscripsi, tamen aliquot locis modo hic, modo ille, modo uterque alterius familiae lectiones e correctura profectas exhibent. de *L* Baehrensius l. c. sic statuit, eum ad alterum codicis cuiusdam antiqui, post Nucem libellum de med. f. exhibentis, apographum redire, cum *M* nunc quidem antiquissimus sit, qui illum repraesentet. quae Baehrensii sententia in universum quidem etiam libelli, de quo agimus, lectionibus comprobatur; tamen, quod dixi, manifesta in *L* deprehenduntur et alterius familiae lectionum et manus consulto corrigentis vestigia.

Iudicium paullo melius ferre licet de *C*. Hic enim, qui plerumque cum *M* facit, locis non ita multis ut *L* singularia praebet et lectiones illatas ex alterius familiae libris deterioribus, quibuscum ei etiam Pseudo-Ovidiana illa *de Pulice*, *de Mirabilibus mundi*, *de Medicamine aurium* sunt communia, istud quidem post lib. de med. f. exaratum.

Quo facilius autem possit cognosci, quae ratio atque adfinitas intercedat inter *MCL* et alteram codicum familiam, haec subiungo scripturarum exempla (littera σ aut omnes aut aliquot alterius familiae codices significantur, lectiones genuinae litteris diductis):

v. 7 cultа *MLσ*: Multa *C*
v. 11 tanto *ML*: ratio (*i. e.* tatio *quod* σ) *C*
v. 17 matres teneras *MCB*: teneras matres *Lσ*
v. 17 peperere *MCσ*: paravere *L*
v. 18 ueste *MCσ*: uestra (*sc.* corpora) *L*
v. 19 positos *MC*: posito *L*: positu *σ*
v. 21 stridente *MCB*: tridente *L*: oriente *σ*

Digitized by Google

v. 21 petitos $MLσ$: paratos CN_1
v. 27 [parent... uenerentur M: paret.. ueneretur $CLσ$]
v. 29 illas $M(?)Cσ$: illos $Lσ$
v. 30 cultas MCL: cultos *vel* cultus $σ$
v. 35 urget $MCσ$: turget L (?)
v. 39 finduntur MLB: findantur C: *varia* $σ$
v. 56 nuda $MCσ$: bina L
v. 56 sed cumulent $MCσ$: secundent L
v. 59 cadent $MCσ$: cadunt $Lσ$
v. 63 bullos $Mσ$: biblos L: bulbos $Cσ$
v. 64 strenua $MCσ$: stemnia L
v. 65 bulli M: gum(m)i $CLσ$
v. 67 affecerit ML: afficiet $Cσ$
v. 69 torrere M: pallore $CLσ$
v. 70 frige fere M: frigi fere C: frugifere $Lσ$
(*lectio genuina:* frige fabae)
v. 76 Sed iustum tristis (*i. e.* tritis) unica pondus erit $MCσ$: S. i. pondus uncia tristis erit L
v. 81 Ut $MCσ$: Et L
v. 85 ibi ML: ubi $Cσ$
v. 85 corpora $MCσ$: tubera $L(?)$ *rec.*
v. 86 triens M: trahens $CLσ$
ł murra
v. 88, 91, 92 murra ML: myrra C: *varia* $σ$
v. 89 contrieris MC: contriveris $Lσ$
v. 100 contereret... illineretque M
contereret.. illiniatque $Cσ$
conterat in illineatque L

Reliquos libros $N_2 l_1 u l_2 m v_1 v_2 b c p h$ saeculi XV. praeter N_2, qui XIV. est, tertio generi adnumerem omnes. horum auctoritas in factitanda crisi Ovidiana fere nulla est, quippe qui non solum ea, quae nefarie ante saeculum XIII. erant intrusa, plerumque propagent, sed aliis etiam inventis textum quem vocamus certent adulterare; unde quae singulorum sunt propria non pluris sunt aestimanda quam coniecturae hoc nomine prolatae. si quid autem in iis exstat, quod cum in MCL servetur, immutatum sit a manu illa retractanti, id tamquam casu factum esse videtur, neque quicquam facit ad tuendam aut elevandam

Digitized by Google

illorum auctoritatem. his autem libris totam veterum editorum crisim institisse adnotatio critica nostra et commentarii Burmanni docent.

Unus codex Berolinensis alter *c*, id quod iam supra dixi, primo quidem obtutu oculorum aciem possit praestringere, tamquam codicem reddat omnibus, qui exstant, antiquiorem, in quo amplioris libelli de med. f. ambitus fuerint vestigia (cf. p. 20). sed et hic nihil nisi hominis cuiusdam docti repraesentat studia, quibus ille poematio manifeste mutilo atque corrupto pingui sane Minerva opem afferre nitebatur.

E codicum huius generis numero de $l_1 u$ adnotaverim eos adeo consentire, ut ex communi fonte Ovidii verba iam effrenata libidine corrupta exhibenti fluxisse pateat, quem fontem fortasse N_2 fuisse suspiceris vel saltem huic simillimum.

Ex *u* autem ducta esse videtur editio Bononiensis. lectionum, quibus codicum $N_2 l_1 u$ et editionis Bononiensis β adfinitas comprobetur, haec adscribo exempla:

v. 3 sterilem] quondam $l_1 u \beta$, odã *i. e.* cõdã N_2
v. 5 acerbos] amaros $l_1 u \beta$, arbos (?) N_2
v. 11 sub rege] regnante $l_1 u \beta$
v. 16 foco] focis $N_2 l_1 u \beta$
v. 19 odoratos] adornatos $l_1 u \beta (\sigma)$
v. 22 Et quantos onus est] Et quantus honor est $l_1 u \beta$
v. 27 parent... venerentur] paret... uenetur $l_1 u \beta$
v. 34 muta] multa $N_2 l_1 u \beta (v_2 b)$
v. 37 credite] condite $u \beta$, credite l_1 (re *in ras.*)
v. 39 finduntur] fundantur $l_1 u \beta (v_2)$, findantur N_2
v. 55 ervi] oui $u \beta$, ////ui l_1, euri N_2 (er)
v. 61 Iamque] Namque $l_1 u \beta (\sigma)$
v. 62 innumeris... cavis] in numeris... suis $N_2 l_1 u \beta$
v. 63 narcissi] phareisis $l_1 u \beta$
v. 65 trahat] terat $l_1 u \beta (l_2)$
v. 66 Huc] Et $N_2 l_1 u \beta$
v. 69 torrere] praebere $l_1 u \beta$
v. 73 Nec cerussa tibi nec] Nec cum cerussa nec $l_1 u \beta$
Pro v. 75 $u \beta$ repetunt versum 71
v. 80 Quod] Quos $u \beta$
v. 81 apteque] simulatque $u \beta$
v. 85 radenti corpora nitro] radenti tubera uitro $l_1 u \beta$
v. 88 e *omittunt* $l_1 u \beta (\sigma)$
v. 91 bene *omittit* l_1, *exhibent* $u \beta$

Digitized by Google

v. 95 affunde] infunde $u\beta(l_2h)$, affunde l_1
v. 97 mollis] molli l_1, mollis $u\beta$
v. 100 teneris... genis] teneras... genas $l_1u\beta(c)$[24])

Editionem Bononiensem ex u ductam esse, non u ex β descriptum, quod quis suspicari possit, quoniam in u nullum exstet temporis, quo scriptus est, indicium, praeter leviuscula quaedam, quae correcta leguntur in β (v. 19 u: ad ornatos pasitu, β: adornatos positu; v. 22. u: aurę, β: aure), ex eo potissimum colligam, quod cum in editione Bononiensi temporum ratione in Ovidii operibus disponendis in universum servata Metamorphoseon libri quarto demum loco post carmina amatoria sunt collocati, in u hi libri primum locum obtinent, id quod sine dubio non factum esset, si librarius codicem Urbinatem ex β descripsisset. reliqua opera et Ovidiana et Pseudo-Ovidiana eodem in utroque ordine sunt disposita et iisdem fere titulis inscripta.

Quod in β ante carmen de philomela poematium de pulice legitur, non commemoratum in numero carminum, quae u continet, is qui β curavit, Fr. Puteolanus, ut quae Ovidii habebantur carmina omnia typis mandaret, illud aliunde potuit derivare. (an etiam in u exstat?)

Quae similitudines inter reliquos libros intercedant, ut inter Gm, non est quod separatim demonstrem, ut quod nullius sit momenti ad crisim factitandam.

De altera editione principe, Romana (ϱ), eiusdem anni 1471 non satis constat, unde eam derivaverit Andreas episcopus. singularia quaedam ei cum N_1 sunt communia. ceterum et is, qui hanc paravit, aut libro mirum quantum corrupto usus esse, aut multa de suo intrusisse videtur ita, ut librorum mss. auctoritatem omnino non curaret[25]).

Reliquae editiones veteres, quas excussi, Venetae prima a. 1474 (ε_1) et altera a. 1486 (ε_2), Parmensis a. 1477 (π), Aldina prima a. 1502 (α_1), plerumque consentientes, eundem produnt archetypum recentis aetatis, quod e communibus vitiis potest

[24]) Praeter ea $l_1u\beta$ in multis consentiunt, quae ut communia cum compluribus aliis non adscripsi. codicis Urbinatis et editionis Bon., quae etiam in orthographia omnino conspirant, ut hic, ita etiam in Heroidibus maximum consensum esse observavit Sedlmayer.

Digitized by Google

colligi: cum editione Bononiensi illae passim tantum conspirant[25]).

Quod de Aldina altera anni 1515/16 — volumen primum libellum de med. f. continens impressum est mense Maio a. 1515 — circumfertur, Naugerium, qui eam curavit, in hoc opusculo optimo codice usum esse[26]), mihi quidem nequaquam probatur; immo id video, Naugerium haud raro poetae verba tacite audacter immutasse ac lectiones, quae num omnino in libris manu scriptis exstent dubitari licet, inculcasse. quodsi quid in illa est memorabile, id tantummodo de medellis illis, de quibus supra egimus, dici potest, id quod etiam de Heroidum textu indicavit Loers (edit. a. 1829 p. XV).

In v. 35 ille primus edidit *nos tanget amor* pro *urget*, quod codices fere omnes habent, v. 62 *in mundis* pro *innumeris*, v. 69 *nudare lupinos* pro *torrere*, v. 89 *contereris* pro *contrieris* (vulgo tunc *contriveris* edebatur), v. 97 *sit parvo mulier licet illita vultum*, cum codices omnes habeant: *sit parvo mollis* (vel *molli*) *licet illita vultu*; v. 51 ille corrigi iubet: *cum teneros somnis demiserit artus* (?) pro *somnus dimiserit artus*.

Ceterum mirum est, quod quae argumentis non adiectis in textu ponit Naugerius, in editione paucis mensibus post emissa[27]) Marius Niger reponenda esse fusius exposuit Naugerii nomine non commemorato, unde iure dubitari licet, ad utrum re rera emendationes illae sint referendae.

Atque haec quidem de apparatu critico. leges autem quas amplecti oporteat in textu quem dicimus constituendo, iam ex iis quae modo exposuimus ipsis facile elucent.

Etenim si primum critici munus illud est, ut communis omnium librorum archetypi scripturam restituat, optimus atque integerrimus testis archetypi Ovidiani est codex Marcianus, praesertim cum lectiones eius consensu librorum *CL* fulciantur. ubicumque hi libri manifesta laborant corruptela, cautione qua

---

[25]) cf. Sedlm. l. c. p. 93.

[26]) cf. Jahn, praef. t. II. p. XX, al.

[27]) P. Ovidii Nasonis Amorum libri tres, de medicamine faciei libellus et nux. Infinitis paene erroribus e manuscriptis exemplaribus emaculati. Una cum Dominici Marii Nigri Veneti luculentissimis enarrationibus... His insuper accedunt Pulex et Philomela... Impressum Venetis 1516 die IIII. Ian.

Digitized by Google

par est adhibita ratio habenda est alterius codicum familiae, videndumque, utrum quod exhibeant ad correctorem illum, an ad archetypum sit referendum; sed plerumque ubi *M* deficit, neque ceteri prosunt, ita ut manifestum sit commune illud archetypum ipsum corruptela laborasse, ad quam tollendam iam coniectura opus esse. quod cum pro exiguo poematii ambitu non ita raro eveniat neque ubique scripturam ex omni parte probabilem invenire mihi contigerit, id quod equidem libere profiteor, etiamnunc patet campus coniciendi, in quo, postquam apparatus criticus iam est constitutus, sagaciores felicius quam ego ipse poterunt versari.

Adnotationem criticam ita instruxi, ut librorum, quos supra descripsi, varietatem scripturae subiungerem totam in primis eorum, quos ipse contuli, et in his, ut optimi, Marciani. cum enim, quod dixi, iis locis, quibus deficit *M*, crisis genus plus minus sit eclecticum, quod vocatur, emendandi periculum facturis codicum etiam deteriorum lectiones commodari ex usu esse videbatur. deinde cum librorum, quos adhibui, indoles plerumque aut omnino non nota sit aut valde manca eius rei notitia, iam certius poterit de ea iudicari, ita ut ad aliorum etiam carminum crisim quaedam ex hac re possint redundare. denique ostendet haec adnotatio, quam infirmis atque fallacibus subsidiis institerint, qui hucusque textum huius libelli tractaverunt ac tamen coniecturas promere certaverunt. lectiones codicum ab Heinsio commemoratorum sine ullo damno omitti posse mihi persuasi; qui autem et has comparare voluerit Jahnii editionem inspiciat, qui eas sedulo collegit.

Quod ad orthographiam attinet, primarium ducem secutus sum codicem Marcianum; quae autem in ea re sunt graviora, ea suo quodque loco tangam in commentario critico.

Digitized by Google

II. Textus.

Index siglorum:

M	codex	Marcianus Florentinus 223	saec. XI./XII.
C	„	Cheltenhamianus	„ XIII.
L	„	Lugdunensis	„ XV.
N_1	„	Neapolitanus prior	„ XIII. init.
N_2	„	Neapolitanus alter.....	a. 1385/6.
R	„	Riccardianus	saec. XIII.
G	„	Gothanus.....	„ XIII.
B	„	Berolinensis prior	„ XIII.
l_1	„	Laurentianus prior.....	„ XV.
l_2	„	Laurentianus alter	
u	„	Urbinas.....	
m	„	Magliabechianus.....	
v_1	„	Vindobonensis prior.....	
v_2	„	Vindobonensis alter.....	
b	„	Musei Britannici	
c	„	Berol. alter olim Crevennae	
h	„	Helmstad. nunc Guelferbyt.	
p	codicis	Parisini fragmentum....	
β	editio	princeps Bononiensis a. 1471.	
ϱ	editio	princeps Romana a. 1471.	
ε_1 ε_2	edd.	Venetae prima et altera aa. 1474 et 86.	
π	editio	Parmensis a. 1477.	
α_1	„	Aldina prima a. 1502/3.	
α_2	„	Ald. secunda vel Naugeriana a. 1515/16.	
Σ	=	codices reliqui.	

In enotanda scriptura codicis Marciani singulis punctis singulas litteras plane evanidas significavi; eas litteras, quarum certa mihi cognovisse videor vestigia, exhibui punctis subter adiectis.

Digitized by Google

P. Ovidii Nasonis
libellus de medicamine faciei.

Discite, quae faciem commendet cura, puellae,
Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem Cerealia pendere iussit
Munera, mordaces interiere rubi;

Inscriptiones: M post EXPLICIT LIBER NVCIS OVIDII NASONIS: EIVSDEM INCIPIT LIBELLVS DH MHDICAMINH FACIHY FHMYNHH; Incipit Ovidius de medicamine faciei *CRB Mentel.*; Sequitur Ovidius de medicamine faciei *p*; Incipit (*sc.* Ovidius *propter ea, quae antecedunt*) de medicamine faciei *Gc*; P. Ovidii Nasonis (Sulmonensis *u*) de medicamine faciei libellus incipit $l_1 u$ (*de β etsi non constat, tamen veri simile est propter subscriptionem:* P. Ovidii Nasonis de medicamine faciei libellus explicit feliciter), *sine* incipit $\varepsilon_1 \pi$, *sine* libellus incipit *Bodleianus,* ε_2; Incipit liber Ovidii de medicamine faciei *m; eadem inscriptio legi videtur in h; certum quidem est, in inscriptione eius esse:* de medicamine faciei (*cf. Iahn l. c. p. 478*); De medicamine faciei elegeia α_1; De medicamine faciei α_2; Medicamentum faciei Ovidii *b*; P. Ovidii Nasonis de facie fucanda & decoranda v_1; Incipit liber Publii Ovidii Nasonis de facie v_2; P. Ovidii Nasonis Medicata facies ϱ; Incipit liber Ouidij de speculo N_1; *nullae inscriptiones leguntur in* $N_2 l_2 L$ (*?*), *sed subsc.* N_2: Explicit Ovidius de medicamine faciei.

1 commendat $l_2 m v_2$, cõm̃d&́ *M* (*'vestigium esse videtur signi adnotam marginalem iam evanidam reicientis*); puellH *M.* 2 forma *ch*, l_2 *in margine,* cura Σ; *vide comm. crit.;* vobis] nobis $c v_2$, uobis Σ; tuenda] tenenda $R b v_2$, ///tuenda *e* tenenda l_2, tuenda Σ; *N. Heinsius coniecit:* sint · · · ora tuenda *vel* linenda. 3 s *in* cultus *e corr. ut videtur in M*; hum *C*; sterilem] quondam $l_1 u \beta \varepsilon_1 \alpha_1 \alpha_2$, condam $\pi \varepsilon_2$, odã N_2; Cerealia] cũ alia v_2, cerealea ε_1, cerealia Σ; pendere] pandere N_1, pend& *C*, p̃hẽdẽ *R*, prodẽ *c*; iussit] · · issit *M*, iusit N_2, *in quo multi extant huius modi errores,* iuxit *m*, *omitt.* v_2. 4 Munera] Semina $N_1 R B b p l_2$ (*m. 1. sp.:*

Digitized by Google

Cultus et in pomis sucos emendat acerbos,
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent: auro sublimia tecta linuntur,
Nigra sub imposito marmore terra latet;
Vellera saepe eadem Tyrio medicantur aeno;
Sectile deliciis India praebet ebur.
Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae
Maluerint, quam se, rura paterna coli,
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,
Assiduo durum pollice nebat opus,
Ipsaque claudebat, quos filia paverat agnos,
Ipsa dabat virgas caesaque ligna foco.
At vestrae matres teneras peperere puellas:
Vultis inaurata corpora veste tegi,
Vultis odoratos positu variare capillos,

1 munera) ϱ, Munera Σ; *post* Semina N_1: et (*ut vr.*); mõdaces *m*, *N. Heinsius coniecit:* marcentes, *Bentley:* vivaces; rubri *G*. 5 et] *omitt.* $N_2 N_1$ (*m. 2 inseruit:* z); sucos $M L R B u v_1 v_2$; emendat] commendat $G l_1 u m \beta$, comendat ϱ, emendat Σ; acerbos] arbos N_2, amaros $l_1 u \beta$. 6 Fissaque] Fixaque $N_1 R v_1 v_2 l_2 c$, fisaque N_2, fexaque *m*, Ipsaque *B*, Cultaque *h*, Fissaque Σ; ad optiuas *R*. 7 Culta] Multa $C v_2 c$, compta *b*, Culcta ϱ; auro *om.* N_2; luuntur N_2, linũtur n *e corr.* l_2, lenantur v_2, tacta uidentur *c*. 9 eadem] quide' *c*; Tyrio] uno N_2; aheno $\varrho \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1 \alpha_2$, aeo *m*, acerbo *c*, aeno Σ. 10 Sectile] Sedula (*mg.:* Sectile) l_2, Sculptile *c*, Sertis v_2, sectile Σ; deliciis] dubiis *sp.:* delitiis *secundum Silligium h;* Indice mittit *p*.

11 forsitam $N_2 m v_2 c$; antiq; *M*; Tatio] tanto *M L* (*mg.:* Tacio) $v_2 c$, tanta (sub lege) *G*, taceo $R N_2$, tacito $m \varepsilon_2$, ratio *C*, statio N_2, tacio *vel* tatio Σ; sub rege] regnante $l_1 u \beta$; Sabinae] puelle N_1. 12 Maluerant $h l_2$ (*m. 2:* i) ϱ, *e silentio B b;* Maluerunt v_1, Maluerint Σ; qua se cura materna v_2. 13 Cum] Et *b*; materna v_2; p̃bens *M*, prębens v_2, sedens $N_1 c$ (*qui:* alto··sedili), premens Σ; altum] aptum N_2, alto *c*; sedile] cubile $N_2 hp$, sedili *c*. 14 assiduum duro *h*, assidue durum ϱ, assiduo durum Σ; police *B*, pelice N_2, pellice v_2; nebat] tenebat ϱ, nectit v_2. 15 Ipsaque claudebat] Iamque gaudebat v_2; fila *c*; pasceret *h*, pandat *p*; ãnos *C*. 16 uirgam v_1 *post* a *sp. m. 1.* s; ces · q; *M*; lignaque cesa foco *p*; focis $N_2 l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, foco Σ. 17 At] Vos ϱ; uestrae $M C L R G v_1 l_1 u l_2 m c p \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1 \alpha_2$, nostrae Σ; matres teneras $M C B G v_1 v_2 h b m l_2 \varrho$, teneras matres $L R N_1 \Sigma$, ...eras *M* (ten *deest membrana perforata);* peperere] peperie' N_1 (*sp. m. 2.*), paravere *L*; puelle *c*. 18 Vultis] uultus v_2; inaurata] in aurora N_2, in aurata ϱ; corpore v_2; veste] uestra *L*, uelle *p;* tegi *M*. 19 Vultis] Uultus *M*; odoratos] adornatos

Digitized by Google

Conspicuam gemmis vultis habere manum;
Induitis collo lapides oriente petitos,
Et quantos onus est aure tulisse duos.
Nec tamen indignum: sit vobis cura placendi,
Cum comptos habeant saecula vestra viros:
Feminea vestri potiuntur lege mariti,
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.

* * *

[Pro se quaeque parent et quos venerentur amores,
Refert: munditia crimina nulla merent.]

* * *

Bl$_1$*u* (ad or.) *l*$_2$ *m* $\beta\,\varepsilon_1\,\varepsilon_2\,\pi\,\alpha_1$, adoratos *p*, odoratos *MCLN*$_1$*R*Σ; positu] positos *MC*, posito *L*, pasitu *u*; v_2: Conspicuam veneris positos, l_2 *in mg.:* odoratu posito (posito *in verbo quodam rubro scripto, post quod legitur:* positum *item rubro*). 20 conspicuam··· manum *MCLRB* $v_2\,p\,\alpha_2$, conspicuas··· manus *N*$_1$*N*$_2$ *G m l*$_1$ *u* $\beta\,\Sigma$; geminis *R N*$_2$ v_1; uultus v_2. 21 in duutis *N*$_1$; oriente] stridente *M* (*alterum* e *librarius mutare voluisse videtur in* i) *CB*, tridente *L*, oriente Σ; petitos] paratos *CN*$_1$ *Mentelianus*, reptos *b*, petentes v_2, petitos *MLRBG*Σ. 22 Et] At *N*$_1$ *l*$_2$; quantos onus est *MN*$_1$ (honus) *RC* (*omisso* est) *B* (honus) *G* (bonus) *N*$_2$ *l*$_2$ (honus *omisso* est, *in mg. a m. 1.:* & q̃ntũ) $v_1\,\varepsilon_1\,\varepsilon_2\,\pi\,\alpha_1\,\alpha_2$, quanto ˜ſonus *L*, onus *omittit* v_2 *spatio vacuo relicto*, quantum onus est ϱ, Et quantum est honus *m*, Et quantum est anulos *b*, Et quantum decus est *c*, Et quantus honor est *l*$_1$ (*in mg. a m. 1.:* ał quantum onus) *u* β, O quantum est onus in aure tulisse deos *h* (*supra* e: u), Et circos onus est *p*; Et quantos oneri est *coniec. Heins.;* au · e *M*. 23 Nec] Non *N*$_1$*R*; est *post* indignum *b p*; Non tamen indignor *coniec. Heins.;* sit] si *b*, sic *p*, sit Σ; uobis sit v_1; nobis *h*; placendi *M*; placendi est *b*. 24 Compoĩtos v_2; cunctos *N*$_2$ *c*; saecula] scelera *c*; uestra *MCLG l*$_1$ *u m* $v_1\,\beta\,\varrho$, nostra *N*$_1$*RBN*$_2\,\Sigma$. 25 Feminea *M*, femina *N*$_2$, foemina π; pociuntur *MC*, veri petuntur *p*, potiuntur (*vel* pociuntur) Σ, poliuntur *Heinsius;* leg · · ariti *M*. 26 Et] Aut *N*$_1$, Et vix *e corr. l*$_2$; cultus] nuptus *c*; quid $v_1\,b\,m$; l_2*:* ꝙd/// addat *e corr.* (*fuisse videtur:* ꝙd hꝫ audet); addat *M*. 27 Pro se queq; parent & q̃s uenerent˜ amores *M* v_2 (*qui:* patent), Per se *G* $v_2\,m\,l_2\,\varrho\,\varepsilon_1\,\varepsilon_2\,\pi\,\alpha_1\,\alpha_2$, Prope v_1, Pro se Σ; quaeque] quique *N*$_1$, quisque *p*, quoque *superscripto:* ꝙd *m*; paret··· ueneretur *CLN*$_1$*RBN*$_2$ $v_1\,c$, parat··· ueneretur *Gm l*$_1$ (*e corr. a m. 1.*) ϱ, paret··· ueneratur *b*, parat··· ueneratur *p*, paret··· uenetur *l*$_1$ *u* $\beta\,\varepsilon_1\,\varepsilon_2\,\pi\,\alpha_1\,\alpha_2$, parent··· uenantur *h*; Per se quos mulier paret uenatur (at *e corr., superscripto* e) *l*$_2$. *manus prima superscr.:* Pro (*denuo superscr. est* er, *ut sit* Per) se queq; parat '(rat *in ras.; sequitur* e *expunctum*) quos; *m. 2. adiecit &, eadem in mg. adscr.:* Prę; et quos *MCN*$_1$*RB N*$_2$ $v_1\,v_2\,c\,b\,p\,u\,\beta\,\varepsilon_1\,\varepsilon_2\,\pi\,\alpha_1\,\alpha_2$, equos *L*, quos et *Gm h*, *corr. in l*$_1$ (/// quos et [*supra lin.*] uen.), *corr. in l*$_2$, ϱ. 28 Reffert *N*$_2$, refer^{t} *h (sec. Sillig.),*

Digitized by Google

Rure latent finguntque comas: licet arduus illas
Celet Athos, cultas altus habebit Athos.
Est etiam placuisse sibi quaecumque voluptas,
Virginibus cordi grataque forma suast.
Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, et forma muta superbit avis.
Sic potius consurget amor quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec mixto credite suco,

Prefert v_2, Perfert (*in mg. a m. 2. in rasura:* Praefert) l_2, vere *c*, Refert Σ; mundicia MC (*sp. m. 1.*: ł as) L, mondicia *c*, mundana l_2, munditia (*vel* cia) Σ; carmina *b*; me...? M (*puto fuisse:* merent), merent *h*, meret Σ; *N. Heinsius, qui edidit:* Proin se quaeque parent: nec quo venentur amores, Refert. munditiae crimina nulla merent, *has proposuit coniecturas:* Proin se q. paret; nec quo venetur a. Refert. mundicie c. n. merent; *vel:* mundicies meret, *vel:* Se sibi q. parent nec quo venentur a. R. munditiae c. n. ferent; *Dan. Heins.:* Per se q. paret, quos et venetur a., R. mundicie c. n. merent; *Burm.:* Per se q. parat, nec quo venetur a. Praefert. munditiae c. n. merent; *Iahn:* Per se q. paret, nec, quos venetur a., R.: munditia c. n. meret; *Hertzberg:* Quo se q. paret nec quos venetur a. R.; *Riese:* (Pro se q.) parent, pro se v. a.; *Muell. sec. Riesium:* nec quos v. a. (*nomen confusum esse vr. ab Riesio*). 29 finguntque] fugiuntque $N_1 p \varrho$, figuntque *b*; comas licet ar ..... M, illas $CRN_2 l_2 mcb\varrho\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$, illos $LN_1 Bl_1 u\beta hv_1 v_2$, illo G; arduos *h sec. Sill.*, abdu' *c*. 30 Celat *p*, Cedet *R*; Atho *p*, at hos *c*, achos N_2; cultas $MCN_1 Rp\alpha_2$, cultos $Bchl_1 u\beta$, cultus $GN_2 v_1 v_2 l_2$ (*sp. rubro:* a) $mb\varrho\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$; altus] s·ltus M, saltus $CLBbv_2 pl_1 u\beta$, altus $RGN_2 v_1 l_2 \varrho\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$, altos $N_1 m$, ałter *h*, saltun *c*; hebebit v_2, habebit Athos *om. b*. 31 Est] Et π; quaecumque] cuicumque *h*, quocunque *c*, quaecumque *vel* quaecunque Σ; Cuicunque *proposuit Marius Niger*, Quotacumque *Micyllius;* voluntas v_2, quęcūq; uoluptas M. 32 Virginibusque B; suast M, est *om. G;* forma suaque grata est N_1, sibi est *h* (*a m. 1.*) sua forma est $\varepsilon_1\pi$, s *et* a *in* sua *e corr.* l_2; V. propria forma decora placet *c*. 33 iunonia M, uelut in noia N_2. 34 muta M (muta) $CLN_1 RGBv_1 chm\varrho\alpha_2$, multa $N_2 v_2 bl_1 u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, tanta l_2; *Coniecerunt: Micyll.:* stulta, *Dan. Heins.:* laeta, *N. Heins.:* lauta *vel* cauda culta, *Burm.:* formae dote *vel* forma culta. 35 Si $Mhmv_2$; consurget] *libri vulgo* uos urget (M: uos urg·t; *fuit autem* urget *non* urguet, *quod quis suspicetur propter amplius spatium, scribitur enim* g͂e), *nisi quod* urguet *G*, turget *L*, tg̃et v_2, urgat *b*, nos urget *h*, nos tanget α_2; *Heinsius edens* nos uret *coniecit:* Hinc p. nos urat. consurget *scripsi;* aı··rq··for·ib·· ͂b M; fontibus *G*. 36 maga] magna *c*, uaca *b*; arte] ante v_2; manu *h*, marius N_2; tr̃ibili manu subsecat arte *R*. 37 uos M, uox v_1; graminibus

Digitized by Google

Nec temptate nocens virus amantis equae.
Nec mediae Marsis finduntur cantibus angues,
Nec redit in fontes unda supina suos;
Et quamvis aliquis Temesaea removerit aera,
Numquam Luna suis excutietur equis.
Prima sit in vobis morum tutela, puellae:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est; formam populabitur aetas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit et longum probitas perdurat in aevum,

Testimonium ad v. 30. Charisius (Keil, Gramm. I p. 90, 16): Anguis cum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminini.... Ovidius: mediae Marsis finduntur cantibus angues.

M, eminibus (*?*) N_2; mixto] misto $a_1 a_2$, mirto v_2, ulli l_2 (*m. 2. sp.:* ł mixto); credite *M*, re *in rasura* l_1, condite $u\beta$; su··*M*, suco *CLBRv*$_1$, Σ *vulgo* succo. 38 temtate *L*, temptare v_2, tentare ε_2, tentate $v_1 m l_1 u \beta \varrho \varepsilon_1 \pi \alpha_1 \alpha_2$, temptate Σ; nocens] uocis v_2; uiris N_2; amantis] amor̃ *c*; aquae *RN*$_2$ v_2 *cm*. 39 Marcis *G*; finduntur *MLBv*$_1$ l_2 (f *e corr.*) α_2 *Charisius*, findantur *CN*$_2$ *h* (*a m. 1.*) $\varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, fundantur $l_1 u \beta v_2$, scinduntur $N_1 R$, findatur *G*, funduntur $m \varrho$, figuntur *b*, finguntur *c*; *Heinsius coniecit:* findantur··· nec ruat (*vel* repetat fontes)··· excutiatur; canibus v_2; anguis *G*. 40 fontes] fotes *B*, frontes *c*; infantes nuda sapientia sucos N_2. 41 aliqd *R*; aliquis temesea *M*, temesea *LN*$_1$ *RB* $l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, temeseea N_2, temesaea $\alpha_1 \alpha_2$, temeseia *hl*, (*m. 2. sp.:* h), tenesea v_2, themesea *Gm* $v_1 b \varrho$, thenesea *C* (*sp. m. 2:* ł lassata), timsea *c*; removerit] mouet *G*, mo remouet (*sic*) *m*, mouerit *hc* (?), remouerit Σ; *in C sp. m. 2.:* reliquerit; aera *M*, hera *B*, ęra *vel* era Σ. 42 excutietur *evan. in M;* aequis *C*, ///quis *m* (*m. 1.*). 43 puellae $l_1 v_1$; *totum versum omittit* N_2; in votis *coniecit Burm.* 44 facile *M* (*supra* e *fuisse videtur tamquam* s, *cuius lineolae cognosci possunt vestigia*) *RLN*$_1$ *B* N_2 *mbh* l_2 (*a m. 1.*) $u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1 \alpha_2$, facilẽ *c*, facilis v_2, facies $v_1 l_1$ (es *in ras.*) l_2 (*a m. 2.*) ϱ; *de CG non mihi satisfacit silentium;* conciliente v_2, consiliante *c*; placent *MCLBN*$_1$ N_2 *uh* v_2 *ml*$_2$ (*a m. 1.*) $\beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1 \alpha_2$, placet *Rl*$_1$ (*in ras. 2 litt.*) $v_1 \varrho$; *e sil.:* *Gbc*. 45 Certus armorum est N_2, comptus amor amorum *G*, cõptus *m*; est *om.* l_2; am····rum··· formam *M*; forma N_2; aetas] euum N_2. 46 Et] Cum l_2 (*sp. m. 1.:* &); placidus $v_1 v_2 h b l_1$ (*m. 2. rubro sp.* t) $u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, placitus Σ; erat *B* (*corr. m. 2:* erit); placitu···gis *M*; *totum v. omittit c;* arandus *coniecit Heins.* 47 pigebit] pudebit *h*. 48 altera] alia *G*, cũ altera v_2. 49 lungum N_2; probitas *M*, probi///s *m*; ꝑducat *B*.

Digitized by Google

Perque suos annos hinc bene pendet amor.
* * *
Dic age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea, quae Libyci ratibus misere coloni,
Exue de palea tegminibusque suis.
Par ervi mensura decem madefiat ab ovis;
Sed cumulent libras hordea nuda duas.
Haec ubi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta iube scabra frangat asella mola.
Et quae prima cadent vivaci cornua cervo,
Contere; in haec solidi sexta fac assis eat.
Iamque ubi pulvereae fuerint confusa farinae,
Protinus innumeris omnia cerne cavis;

50 perq;ụọs v_1 (*corr. m. 1.*); annos] hamos N_2; hinc] hic l_2, tunc $v_1 m \varrho$, te G (*sine dubio* tc̃); pendet] durat $R N_2 b$; *Heins., Burm.:* Fertque suos annos: hinc··· 51 Dic age $M C L R B v_2 u \beta \alpha_2$ *Mentelianus* (*non* Disce age, *quod dicit Heins.*), Sic age N_1, Discite $G N_2 v_1 b l_1$ (*in ras. a m. 1.*) $l_2 m$ (*qui* distite) $hc \varrho \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, Ergo age *coniec. Micyll;* teneres ϱ; sonnus $N_2 v_1$, sopnus N_1, sõpnus $C B R m$, somnos v_2, somnus Σ; dimiserat N_1, dimerserat R (*ex* a *m. 1.:* i), demiserit $l_1 l_2$ (de *ex* di *m. 2.*), dimiserit Σ; arctus v_1; *c hunc versum post 76 sic exhibet:* Qui vr̃os vultus illustrẽt discite cultus. 52 Candidas st quo R, quae c; possunt $N_1 B G$; ora] membra v_1; nitere M, nidere v_2. 53 Hordea $M \varrho$, Ordia c, Ordea Σ; q̃q; R; libiti N_1, ubici N_2, libici M (l *ex* b *ut vr.*) $C \Sigma$; radibus v_2; misere] miscere $R v_2$, miserere $c \varrho$. 54 exue] erue N_1, exute N_2; palta N_2; terminibusque $N_1 G$, deciminibusque N_2. 55 Parṣ R, Parque v_2; erui] eruis L, ///ui l_1, oui $u \beta$, euri N_2, breui v_2, orobi (*cum glossa* hordei) h, h'le (*sp.: ł* erui) C, herbe N_1, *omitt. B*, erui Σ; ··c̃e̊ M, decem *deest in L;* abcc' (*pro* ab ovis) G. 56 Set $N_1 v_2$, Et R, Si B; cumulẽt ẽ *e corr. m*, Secundent L; libros v_2; hordea $M \varrho$, Ordea Σ; nuda] bina L; duas] duos v_2; *55 et 56 desunt in c.* 57 fuerit c, fuerat v_2; sicata $M N_2$, sitata ϱ. 58 Lenta] Dempta b; iubet v_1; scabra N_1, soraba G; frangṛat C, frangere G. 59 cadent $M C R B G N_2 v_2 c l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1 \alpha_2$, cadant b, cadunt $L N_1 G m v_1 h l_2 \varrho$; vivacis c (cervi?); vivaci cornua cervi R, vivaci prima cadent c. corvo v_2. 60 Cortere m; in haec (hęc, hec) solida M (*qui* haec) $C L N_1 B N_2 c l_1 \beta \varrho \alpha_1 \alpha_2$, in hac solida $u \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, in hoc solida R (*qui* h') $m l_2 h$ (*sec. Merkelium.* di *sec. Sillig.*), in hoc solido $v_1 G$ (solidof exta), et hoc solido v_2; *& ante* in *exp. in* l_2; Et huc solidi··· *coniecit Heins;* fac $M L v_1 v_2 c b \varepsilon_1$, face Σ; axis $N_2 c$, adsis v_1; ///eat l_1. 61 Iamque] Namque *vel* Nanque $L l_1 u c v_2 \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, hec N_2, Iamque $M \Sigma$; puluere v_1, puluerule L; fuerint] fuerit v_1, feruĩt c, fuerant v_2; contusa v_1, coffusa N_2, *ad* confusa l_2 *in mg.:* consũpta; confusa farinę M; carine B. 62 innumeris]

Digitized by Google

Adice narcissi bis sex sine cortice bulbos.
Strenua quos puro marmore dextra terat;
Sextantemque trahat gummi cum semine Tusco;
Huc novies tanto plus tibi mellis eat.
Quaecumque afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo levior illa suo.
Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,
Et simul inflantis corpora frige fabae.
Utraque sex habeant aequo discrimine libras,
Utraque da nigris comminuenda molis.

inumeris Lc, in mundis α_2, innumeris *vel* in numeris Σ; cerne] conde N_1 (*m. 2. sp. et in mg. enotavit:* cerne); cavis] suis $N_2 l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, cauis Σ; in cribris·· cavis *coniecit Heins.*, in cumeris·· cavis *Merkelius.* 63 Adiice $v_1 b l_2$ (*qui* adijce) $\pi \varepsilon_1 \varepsilon_2$, Addice $C L l_1 u v_2 \beta$, adisce *c*, adice $M \Sigma$; narcissi] narassi N_1, narcisci N_2, nancisi hec v_2, nascissi L, marsilibus *c*, phareisis (*sic*) $l_1 u \beta$; bis] hec v_2; bulbos] bullos $M R c u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, bullas $m h$, bulles G, biblos L, bulbus v_1, bulbos *ex* bullos l_2, bulbos Σ. 64 Strenua] Stemnia L; qu·s M (*fuisse videtur* a), quas $C L R B G N_2 m h v_1 l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, quo v_2, quos Σ; puro] puto B, puo *c*, Pario *coniec. Heins.*; teret *m.* 65 Sextantesque N_1, sextn̄dẽq; *c*, sex tãdem *m* (*om.* que), sex tm̄que B, Sex tantumque *b*, sextantẽque (ẽ *et* que *e corr.*; *fuisse vr.* sextantũquı) l_2, Sextantemque Σ; tr̈rahat M, trahit *h*, terat $l_1 l_2 u \beta \varrho \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, trahat Σ, trahant *coniec. Heins.*; gummi] bulli M, gumi *vel* gummi Σ; cum] de N_1; ſemine] serie v_2; Tusco]·· sco M, Thusco $\varrho \varepsilon_1 \alpha_1$, tusto $v_2 m$, catusco semine gũon (*i. e.* cum Tusco semine gummi) G, cũ gumi // semine tusto *m*, tuso *coniecit Marius.* 66 Huc] Hic N_1, Et $N_2 l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_1 \pi \alpha_1$; plus] post N_1; mellis] melius N_2, melis v_2; eat] erit $G m \varrho$. 67 affecerit $M L c$, affitiet $N_1 B$, aficiet ϱ, inficiet *coniec. Heins.* 68 lenior $b v_2$; ipsa] illa $C L B$,·· ıa M (*utrum* illa *an* ipsa *incertum; tamen illud probabilius*), ipsi N_1, ipse *b.* 69 torrere $M l_2 h$, ẗrore *m*, terrere $R \varrho$, torqere N_2, torquere v_1, pallore $C L N_1 B G b v_2$, palore *c*, praebere (*vel* prebere) $l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi \alpha_1$, nudare α_2; lu̇pi··· M. 70 inflantis] instantis $M C L N_1 R G N_2 l_1 u l_2 v_1 m b \beta \varrho \varepsilon_1 \varepsilon_1 \pi \alpha_1 \alpha_2$ (*cum asterisco*), instantes $B c h v_2$; frige fabae] frige f̈e·e M, frigifere C, frugifere $L R B G c m b v_1 \varrho$ (frugi fere), frugiferae l_2, frugiferẽ N_1 (*m. 2. adscr.:* formicẽ), finge sere $v_2 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, finge serae l_1 (*in mg.:* aɬ frugiferae) $\alpha_1 \alpha_2$, frange fere h (*sec. Merkelium*, fige fere *sec. Sillig. apud Jahn.*), saxi flagi N_2; Et simul inflantis c. frange fabae *coniec. Marius*, Et simul inflantes c. frige fabas *Heins.* 71 Utra·· sex habeant M, habeat $N_1 c l_1 u \beta \varepsilon_1 \varepsilon_2 \pi$, habẽt N_2; aequo discrimine] lini de semine l_2 (*in marg. adscr. m. 2.:* aequo discrimine). 72 Utraque] Lectaque $G m v_1 \varrho$, *in mg. adscr. in* $l_1 l_2$, Letaque (*?*) fingi N_2; da] de $b \varepsilon_2 \alpha_1$; nigris] libris v_2, clamigeris (*pro* da n.) v_1, scabris c. m. *vel* U. puniceis sunt

Digitized by Google

Nec cerussa tibi nec nitri spuma rubentis
Desit, et Illyrica quae venit iris humo.
Da validis iuvenum pariter subigenda lacertis;
Sed iustum tritis uncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido
Ore fugant maculas; Alcyonea vocant.
Pondere, si quaeris, quo sim contentus in illis:
Quod trahit in partes uncia secta duas.
Ut coeant apteque lini per corpora possint,
Adice de flavis Attica mella favis.
Quamvis tura deos irataque numina placent,

(*vel* da) minuenda m. *vel* U. da pigris comminuenda m. *coniecit Heinsius*, pigris *etiam Cornelissen; pro* Utraque *Heins. coniec.* Frictaque. 73 Nec c. t. nec] Cerusa nec t. n. *L*, Nec c. quidem nec *G m*, Nec cum cerusa nec $l_1 u\beta\pi\varepsilon_2\alpha_1$; *pro altero* nec *R*: nes; cerussa *MC*, cerasa *G*, cesũa *m*, cerusa Σ (*in* N_1 *sp. m. 2.:* blacca); nitri] n···· *M*, nitri $Cbv_1v_2\varrho\alpha_2$, ĩt˜ *B*, uitri Σ; s]··ma rubent·· *M; in C supra* rubentis *sp.:* ł uirentis 74 Desit et illirica----ris---- *M*, Degit et (*in ras. praeter* D) *R*, adsit *c*, et sit et *h*, &//// l_2 (*erasum vr.* si); et *om. Gm;* illyrica $bu\beta\pi\varepsilon_2\alpha_1\alpha_2$, ilyrica ε_1, illyra ϱ, illirica $MN_1RBN_2l_1l_2v_1v_2m$, ylirica *Lc*, hyllirico *C*, ybriaca *G*. ap̃ibrica *h* (*sec. Sill.*); uerit v_2; hiris Lv_1. hyris N_1, yris $CRBN_2$ cmv_2, irys l_2. 75 De v_2; Da pariter iuvenum validis $Gm\varepsilon_2\alpha_1$; iuuen··par·t˜ subig··da *M*, subeunda *c*; *pro hoc versu in* $u\beta$ *repetitur v. 71.* 76 Set $N_1v_2\varrho$, Et RN_2; iustu *C*, uiscũ v_1; tritis] tristis *M*, tristis LN_2h (*sec. Sill., tacet Mkl.*) $cmbu\beta$; ·ncia *M*, untia N_1, hũtia N_2; erit] habet *G*; pondus uncia tristis e. *L*; Quis iustum tritis *coniec. Heins.*. 77 Addito v_1, Edita *b*, Addita Σ; de] d· *M*, de $LN_2l_1l_2v_1h\varrho$, ·da CN_1RB $v_2u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$, quae *G*, que *b*, q̃ *m*; q····o *M; supra* querulo *in* N_1 *a m. 2:* nigro; medicamina *M*, medicamine N_1b; *in m ante* nido *expunctum* nigro; *vv 77—84 desunt in c;* Additaque e q. *coniec. Dan. Heins.*, Adjice et e q. *Nic. H.* 78 Ore fugant (re fu *sub litura*) macul···l·····ocant *M*, ora *B*; maculas] lacrimas *B*; altionea N_1N_2m, alionea *B*, alaonea v_1, halcyonea $\alpha_1\alpha_2G$ (*e sil.*), alcyonea $l_1u\beta\varrho\varepsilon_1\varepsilon_2\pi$, alcionea Σ. 79 pondere *sub litura in M;* contemptus Cv_2, con·····ll·· *M*; in] & v_2. 80 q̃d *M*, Quam v_1, quos $u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$; trahat v_1b; partis v_2; secta] sepͨta l_2 (*totus versus in* l_2 *postea exaratus esse vr.*), sexa *C*, sexta $ML\Sigma$; secta *coniec. Scaliger.* 81 Ut] Et Lv_2, Ut *in ras.* l_2; coeant] quo eant *G*, coheant $v_1b\varrho$; apteque] simul atque $u\beta$, aptęq; v_2, aptaque *h*; lini *om. G spatio relicto;* possunt v_2; *totus v. pallidiore atramento in margine adscr. in B.* 82 Adice $MCRBm$, Addice *Lb*, addite v_2l_2, Sunt dice *G*, adiice Σ; flamis N_2; Atti·· *M*, actica *R*, athica N_1, atita v_2, atica N_2; Adice q̃ flauis attica tra flauis *m*. 83 quanuis $u\varrho$; tura $M\varrho\alpha_2$, thura Σ, thure

Digitized by Google

Non tamen accensis omnia danda focis.
Tus ubi miscueris radenti corpora nitro,
Ponderibus iustis fac sit utrumque triens.
Parte minus quarta direptum cortice gummi
Et modicum e murris pinguibus adde cubum.
Haec ubi contrieris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit.
Profuit et marathos bene olentibus addere murris —
Quinque parent marathi scripula, murra novem —

fuit in l_2; placent] placant ml_2 (*sed* ã *e corr.*) $b\varrho$, pacant *G*, placent Σ. 84 tam̃ *M*, tantum ϱ; danda *M*, dãpna *B* 85 Tu v_1, Tus $M\varrho\alpha_2$, Thus Σ; ubi] ibi $MLmcv_2$; miscueris] posueris *c*; radenti corpora nitro *M* (nitro) $RBv_1h\alpha_2$, radenti c. uitro $CN_2m\varrho$, radendi c. uitro Gv_2, radianti c. nitro *b*, radianti c. uitro N_2 (nytro *sp. m. 2.*), radenti tubera uitro $l_1u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, radenti tubera nitro *L* (*e sil.?*) l_2 (*sed* n *ex* u), radianti t. uitri *c.* 86 iustis *om.* v_1; sis N_2; utrumque $MCLRBN_2c\beta\varrho$, utroque l_2 (*m. 2.:* ũ), utrunque Σ; utrimque *Heinsius;* triens Ml_1mN_2G (*e sil.*) ϱ, l_2 *in marg.*, trihens *h* (*sec. Sillig.*), trahens Σ (*etiam h sec. Mkl.*) 87 Parce *L*; mi··· *M*; direptũ *M*, directum RN_2, direptum Σ (dereptum *e Merkelii silentio h*); dereptum *Heinsius; ante* gumi (*ut plerique exhibent*) grana (*sic*) *in m.* 88 e] c̃ *L*, *evan. in M*, *omnino deest in* Gml_1u $bc\beta\varrho\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, *supra lin.* l_2; murris MLv_2, myrris *C* (*sp.* ł murris) $bl_1u\beta$, myrrhis $\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$, mirris GRc, mirtis l_2, gũmis v_1, miritis *h* (*sec. Sillig.*, mirtis *sec. Merkel.*), meritis ϱ; emiris BN_2, emiriris N_1; pinguibus] piguibus $N_1\varrho$; mirrisque ignibus *G*, ~~~~s (*sic pro* pinguibus) abde (*pro* adde) *m*; cubum] cibũ *M*, cubum Rhl_2, *man. 2. in* N_1, *G* (*e sil.*), cibum Σ; *Coniecerunt: Schlichtenhorst* (*forte in epistula ad N. Heins. missa, cf. Heins. ad Her. I 21*): scrupum, *Triller:* globum, *N. Heins.:* Et m. mixtis picribus a. thymum. 89 contrieris *MC*, contruíeris (*sic*) *m*, contríueris l_2, contereris α_2, contriveris Σ (*etiam h sec. Sillig; tacet Mkl.*); perdensa ϱ, p. dempsa *c*; His, ubi c. p. d. f. cretis *coniecit Heinsius.* 90 Pulvis ab] Nullus in *b*; *post* infuso *expunctum* et *in m;* melle *ex* molle l_2, *pallidiore atramento adscriptum in marg. B;* prebendus *M*; *vv. 91 et 92 desunt in c.* 91 maratos N_2, marhratos l_2 (*m. 2. corr.:* marhathos), marathos Σ; marathros, marathri *v. sq. Micyllus;* bene *omitt.* $Gml_1b\varrho$; olentibus] dentibus v_1; mur··s *M*, murris *L*, myrris *C* (*sp.:* ł murris) $bl_1u\beta$, mirris $RBml_2$, miris N_2, muris N_1v_2, myrtis v_1, et olentes addere mirtos *h*, myrrhis Σ. 92 quinque] quique *b*, queque N_1; parent $MCLN_1$ $BGN_2v_2b\alpha_2$, parant $Rl_2mv_1hl_1u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, prant ϱ; *Muretus:* trahant; maratis *m*, marathis *b*, marati Bh, marathi Σ; scripula $MCLBl_1l_2$, scrypula ϱ, scropula v_1, scrupula Σ; murra] mirta Bhv_2, *reliqua ut supra*; novem] decem Gml_1 (*in quo sp.:* ał novem) ϱ, novem Σ (n··· *M*);

Digitized by Google

Arentisque rosae quantum manus una prehendat,
Cumque Ammoniaco mascula tura sale.
Hordea quem faciunt, illis affunde cremorem;
Aequent expensas cum sale tura rosas.
Tempore sit parvo molli licet illita vultu,
Haerebit toto nullus in ore color.
Vidi quae gelida madefacta papavera lympha
Contereret teneris illineretque genis.

* * *

93 arentisque] redole'que *c*; rosae] r··ę *M*, novẽ *L*; manus] marius N_2; p̃hendat *M*, prehendat $CLRBl_1mv_1v_2\varrho\alpha_2$, prehendit $Ghl_2bu\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, comprendet *c*, *om.* N_2; 94 armoniaco $N_2hv_1l_2$, armeniaco l_1 (*in mg.:* ał amoni) $b\varrho$, ȧmonic̊o *R* (*sp. m. 1.*), amoniaco Σ; masculo *h*; · ura *M*, tura α_2, ture ϱ, thure *m*, thura Σ; sale] sole *G*; *vv. 95 et 96 pallidiore atramento adscr. in mg. B.* 95 Horde··uẽ *M*, Hordea $l_1m\varrho$, Ordea Σ; quem] que $hm\varrho$, quae (quę) l_1ul_2 (q̃) $\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, q̃q; *c*, quem Σ; affunde $MLN_1RBl_1v_2$ (affande) $m\varrho$, adfunde GN_2, offunde *C*, effunde cbv_1, infunde $hl_2u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$; cremorem] tremorem v_2, cruorem *b*, nemorem *G*; (*in mg.* l_2 *adnotatum ut vr.:* liuorem). 96 Aequ·····pensas *M*, equant *h*; asperas ϱ, expãsas *B*; Et quater expressas *b*; tura] · ura *M*, tura $\varrho\alpha_2$, thure *h*, *omittit lacuna relicta* N_2, thura Σ. 97 sit · mollis *M* (mollis) $CLbl_2$ (*qui expuncto* s) v_2 (si) $u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1$, sit · molli $BRl_1h\varrho v_1$ (sic) *m* (moli), sint · mollis N_1, sint · molli *G*, sit · mulier (licet illita vultum) α_2, molis *omisso* sit N_2, hic pr̃is sit puo mell' *c*; illita] illyra *b*, *omittit* N_2 *spatio relicto;* vultum ba_2, vultu Σ; *Heins. coniec.:* sis · molles l. i. vultus. 98 Hęrebit *M*; *ante* toto *in* l_1 *expunctum* no; nullus *M*, nullus $CLRBcv_2l_1u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2\pi\alpha_1\alpha_2$, cultus *b*, uultus v_1, multus l_2m $h\varrho\Sigma$; in orbe *C*. 99 ··di *M*, nidi N_2; v. ego quę v_2, v. cum *c*, Uidi quae////// (*ras. 3 litt.*, idi quae *in ras.*) l_2; gelida] tenera *b*; · madefacta *M*; lympha] nimpha *L*, limpha Σ. 100 contereret · illineretque *MG* (*e sil.*) $l_1u\beta\varepsilon_1\varepsilon_2$ $\pi\alpha_1\alpha_2l_2$ (*e corr.; fuisse vr.:* conterat et illinitaque), contereret · illiniatque *C* (illineatque) RBv_2h (*sec. Merkel.*), conteret · illineretque N_2, conteret · illiniatque $m\varrho$, conteret & · illiniatque *b*, conterat : et · illiniatque v_1, conterat in · illineatque *L*, conteret hec · illiniatque N_1; tener · s *M*, teneras·· genas $l_1u\beta$, t̃ricca (*vel* t̃ritta) manu teneras illin'are genas *c*.

Subscriptiones: Explicit liber de medicamine faciei *Cm*, Explicit Ovidius de medicamine faciei BN_2c *Mentel.*, P. Ovidii Nasonis (Sulmonensis *u*) de medicamine faciei libellus (fęliciter $u\beta$) finit *vel* explicit $u\beta\pi\varepsilon_1\varepsilon_2$; *nullae subscriptiones leguntur in M* (explicit) $LN_1Rl_1l_2$ (τέλως) $v_1v_2b\varrho\alpha_1$ (finis) α_2; *non constat de Gh.*

Digitized by Google

III. Commentarius criticus.

De inscriptione cum, quod in praefatione dixi, hucusque non constaret, quae in libris manu scriptis legeretur, viri docti alius aliter statuerunt. etenim cum veteres editores vulgo *de medicamine faciei* inscripsissent, Heinsii, ut videtur, aetate excogitata est inscriptio *medicamina faciei*[28]), quam vv. dd. postea vulgo amplectebantur leviter eam immutantes (Iahn: *Medicaminum faciei fragmentum*), dum Merkelius e codice Guelferbytano pristinam illam *de medicamine faciei* restituit. denique Lucianus Mueller in Mus. Rhen. t. XX. p. 256 ex Artis amatoriae libri III v. 205 inscribendum esse censuit *medicamina formae*, quem titulum libello, quem tractamus, praefixit novissimus eius editor A. Riese.

Nunc vero mihi libris stabilita esse videtur inscriptio *de medicamine faciei*; illud *femineae*, etsi ipse titulo non adieci, tamen codicis Marciani auctoritati dari posse putem.[29]) nam quod hoc attributum a codicibus reliquis abest, id fortasse potest explicari eo, quod is, quem varia medicamina coniunxisse supra suspicati sumus (p. 29 sq.), cum primo loco possuisset *de medicamine aurium*, inscriptionem alterius opusculi illi respondere voluerit: *de medicamine faciei.*

Libellum hoc carmen poeta ipse vocat in Art. am. III 206:

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
Parvus, sed cura grande, libellus, opus.
Hinc quoque praesidium, laesae, petitote puellae (*figurae* Merkel):
Non est pro vestris ars mea rebus iners.

De facie i. e. vultu se potissimum acturum esse Ovidius ipse dicit primo libelli versu: *Discite, quae faciem commendet cura puellae.* singularis autem numerus *de medicamine* pro toto genere usurpatus non magis offendit, quam si quis de fucis acturus nunc nostro sermone inscribat *Ueber die Schminke.* quod ad significationem vocis *medicamen* hic statuendam attinet, con-

[28]) Heinsius ipse inscribendum coniecit: *Ars medicandae faciei.*

[29]) Titulum codicis Marciani comprobat Wilamowitz-Moellendorff l. c. p. 391.

Digitized by Google

fusos video in lexicis et a Burmanno ad h. l. locos, ubi *medicamen* fucum i. e. certum colorem vultui inducendum significat et rem, quae vultui medeatur utcumque laeso. iubet enim Burmannus hunc locum comparari: Petronii Sat. 126 init., ubi de ancilla amplexus vendenti haec leguntur: *quo enim spectant flexae pectine comae, quo facies medicamine attrita et oculorum quoque mollis petulantia, quo incessus arte compositus...*; quo loco manifesta est fuci vel fucati coloris (Schminke sensu proprio) significatio. atque idem pro loci sensu statuendum est de altero quod Burmannus attulit exemplo, ibid. 102: *puta infectam medicamine faciem diutius durare posse.*

Alteram illam significationem, quam nos in inscriptione amplectamur oportet[30]), poeta ipse tangit v. 67 dicens: *quaecumque afficiet tali medicamine vultum...* est haec primaria vocis *medicamen* vis, quae e loci cuiusque sensu proprie definitur. huc faciunt hi loci: Iuv. VI 472, ubi, postquam foliata, panem, pinguia Poppaeana, lac asellae, ut res faciem femineam emendantes commemoravit, sic pergit poeta: *Sed quae mutatis inducitur atque fovetur Tot medicaminibus coctaeque siliginis offas Accipit et madidae, facies dicetur an ulcus?* Tertull. de virg. vel. 12: *Iam et consilium formae a speculo petunt et faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan et aliquo medicamine interpolant*; idem de cultu fem. II 5: *Quae cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant...*

At cum iis, quae diximus, titulus codicis Marciani satis sit munitus, valde ille infringi videtur loco Artis amat. supra adscripto, cui tantum tribuit L. Mueller, ut *medicamina formae* ipsam esse opusculi, quod tractamus, inscriptionem contenderit. sed vereor, ne plus, quam par erat, ei tribuerit vir ille doctus. neque enim aliud poeta nisi summatim ea tangit, quae libellus a se compositus complectatur, id quod dicendi verbum lucutenter confirmat. certe aliud est, quod de Amorum libris dicit Ovidius (Art. amat. III 343): *Decerpens libris, titulus quos*

---

[30]) Falsum est quod cum alias tum in Jahnii praefat. p. 477 legitur et fusius exponitur a Hertzbergio (Heilmittel gegen die Liebe und Schönheitsmittel metrisch übersetzt, Stuttgart, Metzler p. 1664), Ovidium etiam de *fuci* compositione hoc opusculo agere. cf. infra adnotationem ad versum 98.

Digitized by Google

signat Amorum, *Elige* ...[31]); de libris Metamorphoseon idem dicit in Trist. I 7. 13: *Carmina mutatas hominum dicentia formas*, *Infelix domini quod fuga rupit opus* et Metam. I 1: *In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora*..; et tamen vix quisquam coniciet inscribendum esse huic operi: *Mutatae formae.*

Equidem igitur loco illi Artis amat. (III 205) idem fere tribuerim quod iis, quibus Ovidius Artem amatoriam *Artes amoris* vel *Artes* vocat, ut Amor. II 18. 19: *Quod licet aut artes teneri profitemur amoris*, Rem. am. 11: *Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes*, ibid. 487: *Quaeris ubi invenias* (sc. *puellas*)? *Artes, i, perlege nostras*[32]). ita fere illud *medicamina formae* summatim usurpatum esse puto de reculis illis secretis, quibus feminae faciei damna student emendare, ut in Rem. am. 355:

Pyxidas invenies et rerum mille colores,
Et fluere in tepidos oesupa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo est.

Ea quae de hoc libello dicit Bernhardy in hist. litt. Rom. quo modo sint consocianda non assequor. cum enim p. 546 (ed. V, 1872) dixerit opusculum illud imperfectum relictum esse (a poeta), p. 551 contra Muellerum opponit inscriptionem ab illo excogitatam ideo falsam esse, quod ea libelli parte, quae ad nos pervenerit, de faciei tantum medicaminibus agatur. credo quidem, cum versus illi in Arte amat. nisi de absoluto libello vel potius, ut e Bernhardyi sententia loquar, de libelli parte dicti esse non possint, Ovidium, si inter medicamina formae et faciei ita distinxisset, ut distinguendum esse contra Muellerum contendit Bernhardy, talia utique dicturum fuisse, quae ad libelli partem iam conscriptam quadrarent — nisi forte suspicatus est Bernhardy opusculum neque a poeta absolutum et ipsum illud, quod

---

[31]) Poetam etiam Am. III 15. 1 (*Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum: Raditur hic elegis ultima meta meis*) titulum huius operis prodere, quod dicit A. Riese (praef. p. X), equidem non video.

[32]) Ceterum Ovidium parum sibi constare in inscriptionibus carminum suorum significandis notum est.

Digitized by Google

scripserat, temporum iniuria esse truncatum, quae coniectura nihil sane haberet, quo niteretur. sed equidem et unum et alterum negaverim. nam primum quidem, si Ovidius libellum imperfectum atque ita insuper compluribus locis mutilum reliquisset, ut nunc eum esse videmus, certe eum commemorans talem condicionem utcumque significavisset (cf. de Metamorphoseon libris Trist. II 555 sq., I 7. 14). deinde non possum mihi persuadere, ut verbis *medicamina formae* et *de medicamine faciei* hunc sensum subiciam, quem iis subiecisse videtur Bernhardy, ut opusculum, dum erat integrum, inscribi potuisse *medicamina formae*, ad fragmentum servatum iam *de medicamine faciei* tantum quadrare putem. immo Ovidium libello quidem integro de facie potissimum emendanda egisse atque inde inscriptionem duxisse, sed, ut in ceteris carminibus solebat, sane alias etiam res tetigisse suspicor. iam ubi hunc libellum in transcursu commemorat, *medicamina formae* se dixisse ait, quoniam formae vel pulchritudinis femineae pars longe maxima est pulchritudo faciei. adde quod etiam loci illius in Arte amat. vicinitas prodere videtur libellum a poeta commemoratum de facie potissimum laesa fuisse conscriptum. sed ne longus sim, utcumque res se habet, nunc quidem utique amplectenda est inscriptio servata in codicibus ipsis: Libellus de medicamine faciei.

In v. 2 libri mss. et editiones veteres tantum non omnes miram exhibent lectionem *Et quo sit vobis cura tuenda modo*; quod in codicibus *ch* et in margine l_2 legitur *forma* e coniectura illatum esse neque ulla librorum auctoritate niti patet. primus, quod sciam, Andr. Naugerius adnotavit scripturam *forma* exstare in codicibus, in contextu ipso etiamtum *cura* servans; post Dominicum Marium Nigrum, qui primus edidit *forma*, omnes hucusque editores hanc lectionem amplexi sunt. sed N. Heinsius optime sensisse videtur post illud *faciem commendet* parum apte invitis codicibus intrudi *forma t.* et duas dubitanter proposuit coniecturas vel *Et quo sint vobis ora t. m.* vel *ora linenda*, aeque utramque audacem.

Unde igitur mirum illud cura, quod nullam omnino habet probabilem explicationem? an ex antecedenti *cura* id ortum esse statuamus? modo ne propter id ipsum res magis etiam mira videatur. equidem mutatione lenissima scribendum proposuerim *aura*,

Digitized by Google

quae coniectura, quamvis remotiorem inferre videatur notionem, tamen aliquantum habet quo commendetur. atque mutationem quidem paene nullam esse in promptu est (aıra: aura, ut aı̃ = cum et aı̃ = animi sescentis locis confunduntur). quod autem ad significationem huius verbi attinet, equidem aurae vocabulo hunc sensum subicio *Liebreiz*, *Anmut*, cuius significationis quin plura possent afferri exempla quam ipse afferam, nisi oblitterata essent a viris doctis, non dubito. certa autem haec inveni: Horatius celebratum carmen II 8, quo Barines pulchritudinem praedicat, hac finit stropha:

Te suis matres metuunt iuvencis,
Te senes parci miseraeque, nuper
Virgines, nuptae, tua ne retardet
Aura maritos (codex Dresd. a: *cura*).

Etiam hoc loco *aura* offensioni erat viris doctis; Bentleius enim etsi valde dubitanter legendum proposuit *cura* (hoc est, *ne amor tuus retardet... maritos suos*) et Schrader teste Peerlkampio: *tua ne retardent ora maritos.* (*aura, cura, ora* ut loco illo Ovidiano). sed *aura* disertis verbis defendit Servius ad Aen. VI 204 (*discolor unde auri per ramos aura refulsit*) verbis his: *auri aura splendor auri. Horatius: Tua ne retardet aura maritos i. e. splendor.* virorum doctorum miras loci Horatiani supra adscripti interpretationes non est huius loci recensere; mihi quidem ex omni parte satisfacit explicatio Servii, quam cum aliis tum novissimis Horatii interpretibus probatam video, qui *auram* per *Liebreiz* explicant (Nauck, Krueger, cf. Keller, Epileg. zu Hor. I p. 140). eadem vocis aurae significatio mihi exstare videtur apud Propertium II 17. (23 Muell.) 15, ubi poeta suavissimo lusu duplicem aurae significationem tangens haec dicit:

Iam licet et Stygia sedeat (sc. amans) *sub arundine remex*
Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo damnatum revocaverit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

Etiam hic coniecerunt N. Heinsius et Marklandus *revocarint ora*; ceterum eadem est inter interpretes dissensio, qui modo odorem, modo sonum, modo favorem, modo suavem halitum intellegunt.

Digitized by Google

Adde quod et graecum *ἀντμή* et latinum *aura* splendorem sensu vel proprio vel translato significat; sic Callim. in hymno in Dian. 117:

φάεος δ' ἐνέηκας ἀντμήν
Ἀσβέστου, τ' ῥα πατρὸς ἀποστάζουσι κεραυνοί.

Orph. Argon. 1219 de splendida Circes pulchritudine:

Στίλβε δὲ καλὰ πρόσωπα φλογὸς δ' ἀπέλαμπεν ἀντμή.

Verg. l. c.: *auri...aura*, Prisc. Perieg. 1020 c (Wernsdorf t. IV p. 398), ubi *iaspis aura viridi splendere* dicitur. (hos locos interpretes ad Horatii locum supra adscriptum contulerunt.) quae cum ita sint, *auram* de splendenti venustate atque gratia feminea dici posse fit probabile (cf. nostrum *stralende Schönheit*[33]), quae notio mihi aptissima esse videtur in hoc versu Ovidiano.

V. 3 *quondam* pro *sterilem* audax est Itali cuiusdam mutatio.

Quod in v. 4 codices aliquot deteriores exhibent *Semina* pro *Munera*, a diligentiore Ovidii lectore vel adscriptum vel superscriptum fuisse videtur, qui *Cerealia semina* se aliquot locis legisse meminerat. neque tamen male doctus ille observavit *semina* iis tantum locis usurpari, ubi proprie de serendo sermo fit: Am. III 6. 15:

Nunc opto currum, de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude missa solum.

Rem. am. 173:

Obrue versata Cerealia semina terra.

Metam. I 123:

Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt...

Cerealia munera pro frumento adhibetur Ex P. III 8. 11, item *Cerealia dona* Fast. VI 391. reliquis locis per metonymiam *Cerealia munera* vel *dona* panem, cibum significant apud Ovidium (Met. XI 121, 122; XIII 638; X 74 singularis). ad *pendere* utique aptius est *munera*.

---

[33]) Eiusdem significationis vestigia haud scio an tecte prodat Ovidiana fabulae de Cephalo et Procri narratio (Art. am. III 686 sqq., Met. VII 803 sqq., al.), qua Procris, cum Cephalus coniunx venatu fatigatus *auram* vocaret, quae relevaret aestus suos, *Auram* paelicis nomen esse putavit. cf. in primis A. a. III 701.

Digitized by Google

V. 4 pro *mordaces* N. Heinsius coniecit *marcentes i. e. inertes*, R. Bentley[34]) *vivaces*. sed nihil omnino mutandum est contra librorum mss. consensum. possit sane dubitari, utrum *mordax* epitheton hoc loco de spinis rubi sit accipiendum, an, quod Burmannus vult, eo explicandum, quod *infelices herbae urunt et mordent terram et efficiunt, ne feliciores et bonae proveniant*. mihi quidem haec explicatio iusto longius petita esse videtur, praesertim cum *mordaces* nude ponatur sine humi notione. quam ob rem hoc epitheton sine dubio ad *aculeatam illam mordacitatem* est referendum, quam etsi non rubi tamen cardui aliarumque herbarum in primis urticae foliis inesse dicit Plinius N. H. XXI 15. (54) 91. idem Plin. XVIII 7. (10) 61 dicit hordeo aristam mordaciorem esse quam frumento, spinosos hordei crines designans. nec desunt alii loci, quibus *mordere* pungendi vim habeat.

Quodsi physicus talia dicit, etiam poetae Ovidio veniam habebimus rubos, quos spinosos esse notum est (Prop. IV 4. 26 (V 4. 28): *hirsutis brachia secta rubis*), *mordaces* vocanti.

In v. 6 Merkelius pro tradito *fissaque* e codice *h* recepit *cultaque*. sed utique retinendum est *fissaque*. cum enim v. antecedenti arborum cultus in universum designetur, in v. 6 generatim insitionis fit mentio, in qua fissuram ante omnia necessariam esse nemo est qui nesciat. ut unum pro multis locum afferam, dicit Ovidius Metam. XIV 630 de Pomona: .... *fisso modo cortice virgam Inserit et sucos alieno praestat alumno*. cf. Verg. G. II 78 sqq., Plin. N. H. XVII 14. (23) 102 sqq., al.

V. 11 cum optimis libris scribendum est *F. a. Tatio sub rege Sabinae*; quod codex Neapolitanus praebet *puellae*, audax est sine dubio magistelli cuiusdam mutatio facta ad exemplum Art. am. III 107 (*Corpora si veteres non sic coluere puellae*). etiam *regnante* pro *sub rege* merum est Italorum inventum; dicit enim pariter Ovidius *sub rege* (Met. IV 632, XIV 623; cf. I 114, XIV 458, XV 860), *regna* (vel *sceptra*) *tenente* (Art. am. III 118, Her. IV 132, Fast. II 384; *sceptra* Fast. II 432, IV 594. Ex P. III 2. 61), *regnante* (Am. I 8. 38, Fast. I 193).

---

[34]) Ovidii opera .... cum notis Bentleii hactenus ineditis. Oxonii 1825—6, 5 voll. Bentleii notae in vol. V. sunt adiectae.

Digitized by Google

In v. 12 nulla omnino potest esse dubitatio, quin cum libris scribendum sit: *forsitan ... maluerint*, non plusquamperfectum tempus *maluerant*, quod e Guelferbytano edidit Merkelius. cf. Am. I 8. 39:

Forsitan inmundae Tatio regnante Sabinae
Noluerint habiles pluribus esse viris.

Sed quoniam *forsitan* particula plane fere neglecta est in indice Burmanniano — neque enim plus unus locus affertur, ex epistula Sapphus — ob rem esse videtur locos Ovidianos, ubi ea legitur, omnes collectos proponere[35]). ac legitur ea consociata:

1. cum coniunctivo praesentis:

Her. I 77, IV 53, VII 131, X 85, XII 175, XVIII 165, [Ep. Sapph. 5]; Amor. II 6. 28, III 7. 36, III 8. 21; Art. am. III 438, 447; Met. II 76, V 333, IX 610, XI 291; Fast. II 381, III 3, V 261, VI 72; Trist. II 19, III 7. 27, IV 1. 37]; Ex P. I 2. 5, 5. 63, 8. 69, IV 9. 131; *forsan:* Her. XVI 264; Trist. I 7. 9, II 331.

2. cum coniunctivo perfecti:

Her. XVIII 123; Am. I 8. 39; De med. f. 12; Met. VII 815, X 560; Ex P. III 9. 9, IV 9. 120.

3. cum coniunctivo imperfecti vel plusquamperfecti in apodosi periodi hypotheticae irrealis vel in sententiis, quae huius sensum habent:

Her. XX 6; Met. VIII 365, IX 512, 666, XI 760, XII 193, Fast. II 498, IV 465; Trist. I 5. 18, III 4. 14, IV 4. 54, V 5. 54; Ex P. III 4. 28, III 6. 4, ibid. 41.

4. cum indicativo futuri:

Her. IX 131, XVII 17; Art. amat. I 483, II 286, 525, III 339, 422; Rem. am. 237, 419, 428; Met. XIV 150; Fast. III 318; Trist. III 1. 75, III 8. 19, IV 4. 47; Ib. 27; Ex P. I 1. 78; *forsan:* Her. XIX 168; Tr. I 1. 35.

---

[35]) Aliquot Huebner collegit in Hermae vol. XIII. p. 182. in Eicherti lexico Metamorphoseon nequaquam omnes sunt notati.

Nescio quo pacto dicere potuerit Wilamowitz-Möllendorff in Comm. in honorem Mommseni scriptis p. 400, ubi de Nucis scriptore agit:... „manifestum est indicium vel unum vocabulum miserum illud *forsitan*, quod cum plerique probatissimorum scriptorum, tum Ovidius *constanter vitarunt*. Nucis scriptor a Virgilio adripuit ...“!

Digitized by Google

5. cum indicativo praesentis[36]):

Her. II 104, XIX 136, 141; Am. I 6. 45; Trist. I 1. 69, III 3. 25, V 10. 40.

6. cum indic. perf.: Her. II 14; Trist. V 10. 50; Ex P. III 4. 12; IV 1. 27 (*forsan*), 13. 14; Met. X 467.

7. cum indic. imperfecti: Fast. II 97.

8. cum indic. plusquamperf. *forsan:* Tr. V 5. 4 (?).

Reliquis locis *forsitan* (*forsan*) cum singulis verbis est coniungendum:

Her. XVIII 57; Am. III 6. 100; Met. XV 135, 257; Trist. II 575, III 3. 87; Ex P. III 3. 33, 5. 23, IV 9. 39; *forsan* nude per se ponitur Tr. III 5. 4.

Etsi huius loci esse non potest certa de modis cum *forsitan* particula iungendis dare praecepta, tamen si quod aliud falsum esse video, quod cum alias tum in Kühneri gramm. II 1. §. 147 p. 613 sq. exponitur, poetas, ubi coniunctivus metro repugnet, indicativum ponere. certe quae is protulit exempla, ea ex parte non huc faciunt, velut illud Met. XV 135 (130): *victima sistitur.... percussaque sanguine cultros inficit in liquida praevisos forsitan unda*, ubi *forsitan* utique cum *praevisos* est coniungendum.

Quod in v. 13 Mv_2 pro *premens* exhibent *prebens* falsa pronuntiatione ortum esse patet; etiam v. 90 in *M* legitur *prebendus* pro *premendus*; *sedens*, quod N_1 praebet, mera est librarii alicuius coniectura. cum locutione *sedile premere* cf. Met. V 317: *Factaque de vivo pressere sedilia saxo* (sc. *nymphae*).

V. 14 quod e codice Guelferbytano in textu posuit Merkelius *assiduum duro pollice nebat opus* pro *assiduo durum p. n. o.* futilem utique esse coniecturam luce ipsa est clarius.

V. 16 *focis* pro *foco* ab Italis illatum est propter frequentem pluralis huius verbi usum apud Ovidium, de quo fusius agam in altera huius dissertationis parte.

V. 17 pronominis possessivi forma *vestrae*, quae optimorum librorum fide nititur, elegantior mihi esse videtur quam *nostrae* et quae iucundum quendam iocum contineat. adde quod, cum

---

[36]) cf. Fr. Leo, De Senecae tragoediis obss. crit. p. 63.

Digitized by Google

iis qui secuntur versibus poeta puellas ipsas appellet, in v. 17 secundae pluralis personae mentio aegre desideretur. quam saepe hae pronominum formae confundantur in libris mss. satis notum est.

In iis quae proxime secuntur verbis possit quis dubitari, utrum cum *MC* aliis scribendum sit: *v. matres teneras p. p.* an cum reliquis *v. teneras matres p. p.*, quem verborum decursum etiam LRN_1 tuentur. utrum sit amplectendum e constanti usu Ovidiano evinci posse videtur. etsi enim mirum quantum adamat Ovidius eam verborum collocationem, ut substantivi in fine hexametri versus positi epitheton ante caesuram penthemimerim ponat, tamen ubi duo in uno hexametro substantiva cum suo utrumque attributo adhibentur, collocatio eorum, si metro liberum eius rei datur arbitrium, e verbi positione pendet; prout enim verbum paenultimo vel antepaenultimo loco ponitur, reliqua membra sic disponuntur — substantiva significo litteris *AB*, attributa cum his coniuncta *ab*, verbum litt. *C* —: *aAbCB* aut *abCAB*.

Huius usus ut pro multis pauca adscribam exempla:

abCAB:

Met. I 147: *Lurida terribiles miscent aconita novercae*
„ I 153: *Altaque congestos struxisse ad sidera montes*
„ I 484: *Pulchra verecundo suffunditur ora rubore*
Rem. am. 367: *Et tua sacrilegae laniarunt carmina linguae.*
Met. VI 22: *Sive levi teretem versabat pollice fusum*;

aAbCB:

Rem. am. 57: *Nec moriens Dido summa vidisset ab arce*
Am. I 7. 55: *Ut leni zephyro gracilis vibratur arundo*
Met. VIII 512: *Funereum torrem medios coniecit in ignes.*

Etsi igitur per metrum dicere licuit *summa Dido*, *gracilis zephyro*, *medios torrem*, tamen alteram positionem amplecti maluit Ovidius. in versibus qui contra faciunt singularis quaedam causa est statuenda, ut κακοφωνία quae vocatur, ambiguitas, similia. hic usus, cuius exempla sine ullo dilectu attuli, constans est apud Ovidium, ita ut aliquantum fulcire videatur lectionem codicis *M*: *At v. matres teneras peperere puellas.* (Heinsius, Burmannus, Jahnius ediderunt: *At v. ten. matres p. p.*).

De verbis v. 19 constituendis vix ulla potest esse dubitatio comparatis his locis duobus: Met. II 412:

Digitized by Google

Non erat huius (sc. *Callistus*) *opus, lanam mollire trahendo,*
Nec positu variare comas

et Am. III 1. 7: *Venit odoratos Elegeia nexa capillos* (cf. Fast. II 309). etenim scribendum est: *Vultis odoratos positu variare capillos.* quod in *MC(L)* legitur *positos* pro *positu*, peculiaris est error ortus ex antecedenti *odoratos.*

V. 20 singularis *conspicuam manum*, optimorum librorum fide munitus, utique reponendus esse videtur. significantur enim verbo gemmis *anuli gemmati* (Liv. I 11. 8), quibus sinistrae potissimum manus digitos in primis eum, *qui minimo est proximus* (Gell. N. A. X 10), ornatos fuisse et statuis et litterarum monumentis comprobatum est (cf. Rein in Paulyi Enc. I² s. v. anulus, Becker-Rein, Gallus III³ 175 sqq.). pro multis hoc adscripsisse sufficiat testimonium auctoris in his rebus gravissimi Atei Capitonis (Macrob. Sat. VII. XIII. 13): „*veteres non ornatus sed signandi causa anulum secum circumferebant ... imprimebantur autem sculptura materiae anuli seu ex ferro seu ex auro foret, et gestabatur ut quisque vellet, quacumque manu quolibet digito. postea usus luxuriantis aetatis signaturas pretiosis gemmis coepit insculpere, et certatim haec omnis imitatio lacessivit ut de augmento pretii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. hinc factum est, ut usus anulorum exemptus dextrae, quae multum negotiorum gerit, in laevam relegaretur, quae otiosior est, ne crebro motu ex officio manus dexterae pretiosi lapides frangerentur.*“ adde Tertull. de c. fem. I 9 extr.: *graciles aurium cutes kalendarium expendunt, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit* (i. e. irridet et contemnit saccos nummorum). adde quod singularem numerum *conspicuam ... manum* singulares qui secuntur *collo, aure* ita commendant, ut pluralem molestiorem facit sibilus, quo iam Marius Niger offensus est.

Pluralis etiam a Merkelio probatus sine dubio a docto aliquo suae aetatis mores spectanti illatus est.

In v. 21 cum, quod codices optimi praebent, *stridente* (*tridente*) ut apertus error cognoscatur, unde genuinum *oriente* facili negotio possis eruere, fallacior est varians lectio *paratos* codicum CN_1 *Mentel.*, quam in textu posuerat Heinsius.

Digitized by Google

Sed librorum *M L* auctoritas, quam aliquanto fulcit reliquorum praeter *C N*$_1$ *Mentel.* consensus, et locus Metam. VII 266 (*Adicit extremo lapides oriente petitos*) satis magna sunt, quae omnem suspicionem diluant. adde quod, cum poeta speciosum aliquod dicere velit de lapidibus illis, *orientis* notio prodere videtur speciosum istud longinquitatem esse, unde illi advehantur, cum ad *paratos*, i. e. *emptos*, pretii potius exaggerati, quo comparandi sint, notio desideretur, ut fere Seneca de benef. VII 9. 4 dicit: *non satis muliebris insania viros superiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* cf. Tertull. locum supra allatum, Hor. Sat. II 3. 239 sq. puto igitur scribendum esse: *oriente petitos.*

In v. 22. nescio, cur omnino offendamus in optimorum librorum lectione: *Et quantos onus est aure tulisse duos.* nimirum tam perspicua atque plana est huius modi exaggeratio, ut vix opus sit locos afferre, ubi de auribus oneratis sermo est. vide virorum doctorum notas ad Art. amat. III 129 (*Vos quoque non caris aures onerate lapillis*), Petron. Sat. LV. compluribus locis hunc morem exagitat Seneca (Dial. II 14. 1, VII 17. 2, al.). ad numerum *duos* explicandum cf. Senec. de benef. VII 9. 4: *Video uniones non singulos singulis auribus conparatos. iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt: iunguntur inter se et insuper alii binis superponuntur.* idem De rem. fort. 16. 7: *Duc bene institutam.... nec cuius auriculis patrimonia bina dependeant.* Plin. N. H. IX 35. (56) 114: *Hos* (sc. *elenchos*) *digitis suspendere et binos ac ternos auribus feminarum gloria est.* Heinsii coniectura, quam ille sat inepte collato loco Met. X 195 (*Sic vultus moriens iacet et defecta vigore Ipsa sibi est oneri cervix umeroque recumbit*) proposuit scribens: *Et quantos oneri est,* qua idem omnino sensus efficitur, futilis utique esse videtur. ceterum hic locus luculentum praebet exemplum grassantis corruptionis; cum enim pro *onus* scriptum fuisset *honus*, id iam in *honor* mutatum est, et pro *honor* is, qui *c* exaravit, ut de ceteris librariorum taceam commentis, audacter *decus* intrusit.

In v. 23 praeferendum est *Nec tamen,* quod versus initium optimi libri tuentur, cum *Non t.* duo tantum suspectae fidei codices exhibeant.

In eodem versu Heinsius scribere maluit *si* pro *sit*, relegans ad nescio quos codices Marii. Heinsio assensus est Merkelius in

Digitized by Google

textu ipso ponens *si*. sed quamquam haec constructio: *nec tamen indignum* (sc. *est*), *si vobis cura placendi* (sc. *est*), *cum*... grammaticae praeceptis non repugnat, tamen durior esse videtur pro Ovidii elegantia. certe *indignum si* vel *indignor si* apud Ovidium me legisse non memini.

In v. 24 quodam modo speciosius dici et ad hilarem horum versuum colorem magis quadrare putaverim *saecula vestra* quam *saecula nostra*. alteram pluralis personam tuetur consensus codicum *MCL*, cum *nostra* in altera demum librorum familia appareat. adde quod, etsi peculiaris est librariorum error confundendi has scripturas, hoc quidem loco manus dedita opera mutans deprehendi videtur, quia iidem fere codices hoc versu *nostra* exhibent, qui v. 17 *nostrae matres* (cf. etiam adnotationem crit. ad. v. 35). quodsi quis consulto poetae verba retractavit, certe multo probabilius est eum utroque loco primam pluralis personam reposuisse corrigendo ex altera, quam ex prima remotiorem alteram, qua dictionem speciosiorem fieri videmus. mihi igitur, etsi quod sciam praeter editiones principes nemo hucusque *vestra* edidit, haec scriptura magis probatur.

In v. 25 editores vulgo Heinsii coniecturam amplectuntur scribentis *poliuntur* pro *potiuntur*, libris omnibus invitis intrusam. sed propter ea quae modo secuntur *nupta vix habet quod ad cultus addat* potiendi notio in versu antecedenti si quod aliud aptissima est. cf. Art. am. III 437, ubi de virorum cultu agitur: *Femina quid faciat, cum sit vir levior ipsa?*

Vv. 27 sq. Cum loci hucusque tractati facili plerumque negotio potuerint sanari, vv. 27 sq. insuperabiles paene habent difficultates, in quibus expediendis viri docti dudum sudaverunt. codex Marcianus hoc distichon sic exhibet:

Pro se quęq; parent & q̃s̃ uenerent̃ amores
Refert mundicia crimina nulla me... ?

Utrum *merent* an *meret* fuerit potest sane dubitari, cum litterarum evanidarum nulla omnino exstent in codice vestigia; sed propter antecedentes plurales probabilius est fuisse *merent*, licet singularem reliqui praeter *h* exhibeant; nempe in omnibus excepto v_2 etiam in v. 27 numeri singulares sunt illati; v_2 autem, qui *patent*... *venerentur*... *meret* praebet, textum tam

Digitized by Google

nefarie habet retractatum, ut ad coniecturam de *M* faciendam nihil omnino valere videatur.

Sed ut iam a codice optimo Marciano ordiamur, *amores venerari* certe neque Ovidius, neque ullus eius aetatis poeta dicere potuit, unde, si quem omnino sensum extricare volumus, mutatione haud ita leni, quam a doctis Italis ipsis factam esse videmus in libris mss., scribamus oportet *venentur*. iam igitur hanc evincimus sententiam: *Refert, quaeque* (i. e. *et quae*) *pro se parent et quos venentur amores. m. cr. n. merent*, quam his fere reddi licet vernacule: Es kommt (sc. ihnen) darauf an, was sie sich beschaffen (anschaffen) und welche Liebschaften sie sich erjagen sollen. — Durch Nettigkeit ziehen sie sich keinen Vorwurf zu. hanc fere sententiam exigit distichon a Merkelio obelo notatum, a Riesio sine obelo editum.

Iam ut omnia, quae in his offendunt, dici posse in praesentia concedamus, iure mihi id in primis quaerendum esse videtur, de quo haec dicta sint. num de puellis, quod viri docti vulgo statuunt, et quod unum statui possit *meret* lectione probata? at de iis certe puellis, ad quas versus antecedentes tam venustos tamque lepidos conversos esse videmus, Ovidius iudicium tam durum ferre non potuit, ut diceret earum id tantum[37]) referre, quae pararent et quos *amores venarentur*. itaque fortasse de viris, de quorum cultu in versibus antecedentibus verba fecit poeta, haec iniecta sunt, id quod dictio *venandi* amores commendare videtur (cf. Art. am. I 89: *Sed tu praecipue curvis venare theatris*, Hor. Ep. I 1. 78 *viduas*, saepe)? ac re vera ad viros et hoc et quod sequitur distichon conversa sibi finxisse librarios ex eo cognoscitur, quod in v. 29 plerique codices exhibent masculinum *illos* et in v. 30 aliquot *cultos* (*cultus*) pro *cultas*. sed si vv. 26—30 inter se cohaerere putamus, id quod editores hucusque omnes statuerunt, distichon, de quo sermo est, de viris dictum esse non potest, quod et vv. 26 et 29 perspicue ad puellas spectant (v. 29 propter *finguntque comas*, cf. A. a. I 306: *Quid totiens positas fingis inepta comas*?), unde ad lacunas sit confugiendum, si vv. 27 sq. de viris intellegere velis.

---

[37]) Hanc vel similem particulam sententiae color exigit.

Digitized by Google

Iam vero videamus, num omnino hi versus tanti sint, ut ad eos tuendos lacunas statuamus.

Ac primum quidem non potest non offendere hic verborum conexus: *pro se quaeque*, quoniam *quae* pro pluralis accusativo est accipiendum. quicumque enim haec legit, de singularis nominativo feminini generis cogitat, ut librarii tantum non omnes, qui reliqua non curantes certatim coniecerunt *paret — veneretur, paret — venetur, parat veneratur*, alia, quae omnia etiam in sequenti versu singularem *meret* traxerunt. neque tamen ulla harum coniecturarum locum habet propter constructionem reliquorum verborum. deinde languida quodam modo est dictio *pro se parare*, quae num omnino latina sit, dubito. atque haud minus inepte mihi expressa esse videtur sententia parum concinne adiecta *munditia crimina nulla merent*. et quid omnino *munditia* sibi hoc loco vult, cum de *cultu* sermo sit? in Art. am. I 505 haec praecipit iuveni Ovidius:

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crura teras. . . . .
Forma viros neglecta decet . . . .
Munditiae placeant, fuscentur corpora campo . . . cum igitur hoc loco *munditia* aperte iis opponatur, quae ad cultum faciunt, versus illi desperati utrumque confundunt.

His difficultatibus commotus, quae nulla innumerarum paene coniecturarum, quas viri docti excogitaverunt, tolli videntur, equidem vv. 27 sq. in numero eorum habendos esse censuerim, quibus a lectoribus librariisque male doctis pridem nefarie interpolata esse scimus carmina Ovidiana, id quod vel antiquissimi codices testantur. forte doctus aliquis morosus succensens viris effeminatis, quorum in versibus antecedentibus fit mentio, pingui sane Minerva hoc distichon aegre conflavit; huic autem illud *amores venerari* et reliqua, quae offendunt, condonabimus et codicem Marcianum integram huius additamenti formam servasse statuemus, cum in reliquis idem futilibus coniecturis exstet temptatum. porro is, qui archetypum codicum *MCL* exaravit, quamquam interpolationem illam non reiecit, tamen versus qui secuntur non ausus est temptare, contra reliqui eadem pellecti etiam vv. 29 sq. de viris dictos esse rati perperam *illos* (et *cultos*) scripserunt.

Digitized by Google

Neque tamen eiecta interpolatione aptum consequimur sententiarum conexum atque decursum, immo etiamtum inter vv. 26 et 29 hiat oratio, cum iam Hertzberg l. c. distichon, quod tractamus, quamvis audacibus coniecturis afflictum[38]) dubitanter, ut videtur, defendens ante v. 27 lacunam exstare contenderit. quid autem versibus iam deperditis fuerit expressum, etsi difficile est, de poetarum in primis Ovidii sententiis facere coniecturam, tamen cum aliqua probabilitatis specie haec suspiceris: fortasse monuit, quam parum cultus cura conveniret naturae virorum, cum puellarum natura ipsa formae ac faciei curam exigeret; hae enim, ita pergit poeta, vel rure latentes et in Atho monte ipso commorantes formae cultui inserviunt. haec igitur fere intercidere potuerunt, cuius lacunae supplendae periculum sat miserum superest in codicibus, ex quibus Marcianus illud integrum servavisse videtur.

Quod in v. 30 optimi libri pro *altus* exhibent *saltus* sine dubio ex *s* littera antecedentis vocabuli *cultas* perperam geminata ortum est. *altus* epitheton monti *Atho* attributum, quamvis parum elegans, non habet quod offendat; etiam *Hybla* (Ex P. II 7. 26), *Eryx* (Art. am. II 420), *Maenalon* (Met. II 442), *Ida*, alii montes iidemque mediocres *alti* appellantur ab Ovidio.

V. 31 libri fere omnes exhibent *quaecumque voluptas*, quae pronominis forma multis displicuit. Heinsius edidit *quotacumque*, id quod etiam Burmannus amplexus est, Merkelius ex Helmstadiensi *cuicumque*.

Equidem pronomem *quaecumque* retinendum esse neque ullum aliud sine sensus damno inferri posse puto. est enim haec adiectiva huius pronominis forma praedicativi loco adhibita, cuius sensum copula *est* intellecta vernacule his fere reddere possumus: Sich selbst zu gefallen ist auch ein Vergnügen, mag es nun wie immer bestellt sein (sc. ein recht zweifelhaftes); proxime igitur haec significatio accedit ad *qualiscumque*, quod item olim legebatur. qui comparentur hosce locos affero: Am. II 12. 6, ubi Ovidius glorians, quod virum, custodem, ianuam Corinnam servantes fefellerit, *Haec est*, inquit, *praecipuo victoria digna triumpho, In qua, quaecumque est, sanguine praeda caret*, ubi Hertzber-

[38]) *Quo se quaeque paret nec quos venetur amores R····meret.*

Digitized by Google

gium non recte interpretatum esse puto, *wie gross sie auch sei.* Art. am. III 683:

Sed te, quaecumque est, moderate iniuria turbet.

Ex P. IV 12. 19 poeta conquestus, quod Tuticani nomen metri legibus repugnaret, ut officium neglectum excuset sic pergit:

Haec mihi causa fuit dilati muneris huius,
Quod meus adiecto faenore reddet amor:
Teque canam quacumque nota, tibi carmina mittam.

(Kornii codex τ: *quocumque modo*). de Tristium v. III 14. 35 dubitari licet:

Ingenium fregere meum mala: cuius et ante
Fons infecundus, parvaque vena fuit.
Sed quaecumque fuit, nullo exercente refugit.

possit certe eadem vis subici pronomini *quaecumque.*

Ceterum apud ipsum Ciceronem *quaecumque* pro *qualiscumque* occurrit, pro Rab. Post. VIII 21: *Gabinius illud quoquo consilio fecit, fecit certe suo; quaecumque mens illa fuit, fuit Gabinii*, Orat. XXX 106: *nos primi, quicumque eramus et quantulumcumque dicebamus.... studia convertimus.* quod ad ellipsim copulae *est* attinet, mihi quidem illa non durior esse videtur quam haec constructio: *placuisse sibi cuicumque est voluptas;* si vero *quotacumque* malis amplecti, eadem ellipsis sit statuenda. ceterum quoniam huius versus, Ovidium auctorem manifeste ostendentis, reliqua verba plane certa sunt neque latior potest statui corruptela, equidem verbi *voluptas* nullum invenio attributum — id enim mihi utique necessarium esse videtur — quod et metro satisfaciat et in *quaecumque* abire potuerit. quae cum ita sint, *quaecumque* a poeta ipso profectum esse puto.

In v. 32 scripsi *suast*, quod exhibere videtur *M.*

V. 34 viri docti pavonis attributo *muta avis* offensi varias protulerunt coniecturas. *Multa avis* vulgo editur contra librorum optimorum auctoritatem. equidem nihil omnino mutandum esse puto. ut enim in naturali quidem historia pavo *muta* avis inepte vocaretur, ita hic pro loci natura atque condicione, si quod aliud aptum est epitheton *muta;* nimirum, cum cantus modulatus praecipua sit laus avium, ea avis, quae hoc omnino egens clangorem quendam raucum atque eum ipsum raro edat, forma autem mirum

Digitized by Google

quantum superbiat, apte *muta* potest vocari. (Ovid. Fast. VI 177 ad cibum illum delicatum, quem praebebant pavones subtilis palati hominibus, alludens dicit: *praeter pennas nihil in pavone placebat*).

In v. 35 si verba tradita: *Sic*[39]) *potius vos urget amor quam f. h.* tueri velis, hic sensus iis sit subiciendus: *Potius est*, i. e. *praestantius est* vel *praestat amorem vos sic*, i. e. *ita, ut ego vobis modo praecipiam, urgere* (Tertull. de c. fem. II 5: *quae cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant;* Ov. Am. II 18. 20: *artes teneri profitemur amoris - Hei mihi praeceptis urgeor ipse meis!*). sed quoniam haec explicatio iusto est artificiosior, versui laboranti coniectura erit succurrendum. neque tamen quod post Heinsium vulgo editur *nos uret* cuiquam probatum iri puto, qui hos versus accuratius perlegerit.

Equidem servatis apicibus verbi traditi *urget* leni antecedentis pronominis *uos* mutatione scribendum proposuerim *Sic potius consurget amor*. habita enim ratione locutionum, quales sunt *ira consurgit* (Quintil. I 11. 12), *irae surgunt* (Verg. Aen. X 814), *dolor surgit* (Sen. Thyest. 943), *ingenium surgit* (Ov. A. a. I 186) et quae sunt similia etiam *amor inter amantes consurgit* pro *excitatur* dici posse puto.

In hanc coniecturam etiam Carolus Schenkelius, magister plurimum colendus, inciderat.

V. 39 falso viri docti sollicitare conati sunt indicativum *finduntur,* quem optimi libri et Charisius (Keil, I p. 90, 16) tuentur. angues cantibus magicis vulgo rumpi dicuntur (cf. Am. II 1. 25, Met. VII 203)[40]), id quod verbis *mediae finduntur* hoc loco Ovidius magis etiam exaggerat, velut Lucil. XX. IV [5] d (Muell.):

iam disrumpetur medius, iam, ut Marsus colubras
disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis.

Coniunctivo *findantur*, qui Heinsio adeo placuit, ut vv. 40 et 42 variis coniecturis temptare maluerit, horum ipsorum indi-

---

[39]) Quod *M* pro *Sic* exhibet *Si* peculiaris librarii error esse videtur, unde vix quidquam redundabit ad locum sanandum.

[40]) De variis Marsorum in angues viribus cf. Burm. ad A. a. II 102.

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

cativi refragantur; *scinduntur* codicum N_1R audax est magistelli cuiusdam coniectura.

In v. 41 nescio quo pacto Merkelius scribere potuerit *Temeseïa moverit*, cum sensus ipse lectionem codicum fere omnium *Temesaea removerit* exigat, scriptura *moverit* autem sententia totius loci corrumpatur; arbitrabantur enim veteres aeris sonitu minui *Lunae labores*, id quod multis locis probatur, veluti Tib. I 8. 21 sq.:

Cantus et e curru Lunam deducere temptat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

Ov. Met. VII 207 de Medea:

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant;

ad hos locos interpretes alios qui huc pertinent contulerunt. deinde cum alii tum Ovidius dicit *Temesaeus* non *Temeseïus:* Met. VII 207, Fast. V 441. (Fast. XV 707: *Temesesque metalla*). denique *Temeseïus* a *Temese* formatum etymologiae repugnat legibus. cf. Hertzberg l. c. p. 1662.

In v. 44 adverbium *facile*, quod locum non habere patet, sine dubio e *facies* ortum est fortasse per *facilcs*, cuius erroris vestigia haud scio an exstent in *M*.

Eodem versu contra librorum plurimorum consensum mihi reponendus esse videtur singularis *placet* servatus a codice Riccardiano, qui etiam v. 88 lectionem genuinam *cubum* exhibet. etsi enim pluralis *facies* defendi possit ratione habita locorum qualis est in Petron. Sat. 102 extr.: *circumcide nos... pertunde aures... increta facies*, tamen et constanti usui Ovidiano et loci ipsius naturae magis convenit singularis, unde etiam *placet* reponendum esse evincitur. fuerunt, qui *placent* ita tueri conarentur, ut post *tutela* in v. antecedenti interpungentes coniungerent: *puellae.... placent* (vide Burm. ad h. l.); sed *puellae* non potest non esse casus vocativus referendus utique ad pronomen *vobis*.

V. 50 sine ulla graviore causa Heinsius e coniectura edidit *Fertque suos annos*, quam lectionem etiam Burmannus amplexus est. sed ne dicam hanc sententiam: *probitas fert suos annos* post illud *perdurat in longum aevum* misere claudicare, verba tradita mihi nullam omnino habere videntur difficultatem; etenim *per suos annos* idem est ac per annos amori datos atque con-

Digitized by Google

venientes, vel quibus omnino amatur, dictum illud ex Ovidii mente; qui pronominis possessivi usus est notissimus (cf. Am. II 2. 46: *ante suos annos;* Met. XI 311, XV 817: *sua tempora*).

V. 51 vulgo editur aut *Disce age* aut *Discite*, cum libri optimi (*MCLR* al.) praebeant *Dic age.*

In tractanda hac lectione premendum est post v. 50 lacunam statui oportere; neque enim poeta tam abrupte progredi potuit ad singulas res tractandas. cum autem ignoremus, qui fuerit transitus nunc deperditus, non licet plane abicere optimorum librorum scripturam. certe neque *Discite* neque *Disce age* satis commendatur, prius illud, quod iusto longius a libris recedit et quod post tres versus sequitur *exue* et praecepta ad unam directa personam, etsi id levioris est momenti; ad *disce* autem mihi parum aptum videtur illud *age*, cum Ovidius *disce* ubique sine *age* posuerit (A. a. III 327, Fast. I 101, III 177, 436, VI 639, Met. XIV 319). *age* imperativus cum his coniungitur apud Ovidium:

dic age Her. VI 141, Am. III 5. 31, Met. XII 177, Fast. I 149. *age dic* Ex P. IV 3. 21;
duc age Art. am. II 498, Tr. III 1. 25;
surge age Her. XIV 73, Met. XI 669;
finge age Her. VII 63;
pone age Met. VIII 433;
age gaude Met. XIV 721, *age desere* Met. XV 22;
age temptemus Met. XII 485;
quin age, ergo age saepe.

Dic autem ita fere potest dici indefinite ut in Rem. am. 63 sq. *da*, 65 *redde.*

V. 59 cum *MC* aliis multis scripsi *cadent*, quod tempus speciosius esse videbatur quam praesens *cadunt.*

In v. 60 mihi difficultates inesse videntur, quas etsi non expedire contigit, tamen exponendas saltem esse puto. huic enim versui ad Heinsii coniecturam, quam vulgo repetunt editores, conformato, *contere; in haec solidi sexta fac assis eat*, sensus hic subicitur, ut contriti cornus cervini portio sit sextula solidi assis. sed nonne quicumque vv. 59 sq. legerit, verba *in haec... eat* ita accipiet, ut in cornua contrita novum aliquod elementum adiciendum esse putet, ut fere paullo post

Digitized by Google

dicitur v. 66: *huc novies tanto plus tibi mellis eat?* certe equidem nullum inveni locum, ubi *ire... in* simili modo adhiberetur de pondere, neque omnino latine ita dici posse videtur. si vero comprobata Heinsii coniectura, dico *solidi*, interpungere velis: *Contere in haec; solidi s. f. assis eat,* et sensus et constructionis exsistunt difficultates. equidem igitur adiecto hoc, quod ad definiendam cornus cervini portionem fortasse illud *prima* sufficit — cum enim prima cervi cornua non ita magna sint, fortasse tota sumi vult poeta — et quod adiectivum *solidus* ad *assis* notionem non est necessarium[41]), suspicor apicibus verbi traditi *solida* re vera elementi vel materiae alicuius cornibus admiscendae subesse notionem. sed utcumque res se habet, locum non sanum esse pro certo habeo.

In eodem versu *ML* genuinam servarunt imperativi formam *fac; face* plane abiudicandum esse puto ab Ovidio. conferas Her. XIX 152; Am. II 2. 40; Rem. Am. 337; Fast. I 287, V 690; Ex P. II 2. 62, quibus locis, cum olim *face* vulgo fuerit editum, proinde ac *fac* non posset corripi (cf. Burm. ad Her. II 98), nunc *fac* editur e libris mss. eadem imperativi forma reponenda esse videtur Her. II 98, etsi codex Parisinus ibi exhibere dicitur *face exspectes.*

V. 61 utique scribendum est *Iamque* non *Namque,* quod veteres voluerunt interpretes. dictio *confundere aliquid alicui rei* non offendit; similia afferuntur in lexicis.

In explicando versu 62 equidem perspecta librorum mss. lectione non dubito usque ad Marium atque Micyllum redire. cernendi enim verbum hoc loco certe nihil aliud potest significare nisi *cribrare*[42]). quodsi ad *cernere* hoc sensu adhibitum cribrandi instrumentum adicitur, e rei natura dici potest aut *cernere aliquid aliquo instrumento* aut *cernere aliquid per aliquam rem:* tertium vero non datur, unde mihi omnes coniecturae futiles esse

---

[41]) Quid Klotzius sibi velit dicens s. v. as: *So steht as zur Bezeichnung der Einheit, wo wir sagen das Ganze... Ov. med. fac. v. 66. in haec solidi sexta face assis eat., wo von drei(?) Pfunden die Rede war,* me non intellegere fateor.

[42]) Hertzbergii interpretatio *beuteln im bauchigen Sieb* contrariam fere intrudit notionem, quam cernendi verbum nullo pacto potest habere.

Digitized by Google

videntur, quae hanc inferunt constructionem: *cernere aliquid in aliqua re* (*in cribris... cavis, in cumeris... cavis, in mundis... cavis*). quae cum ita sint, equidem amplectendam esse puto optimorum codicum lectionem *innumeris... cavis*, ita ut *innumera cava* (vel *innumeri cavi*; utrumque enim dici potest) periphrasis sit cribri, cuius cava i. e. foramina innumera sunt. v. 89 item Ovidius dicit: *per densa foramina cerne* (*per densa foramina spissus* legitur Met. XII 438; sed hos versus ab Ovidio abiudicavit Merkel). adiectivum *innumerus* usitatissimum est Ovidio. quod ad *cavum* vel *cavus* pro *foramen* attinet, cf. Col. r. r. VIII 3. 9: *cavis modicis forare spatia*, Plin. XI 51. (112) 266: *duobus cavis recipere spiritum*, Hor. Epist. I 7. 33, ubi *angusta rima* (v. 29) *artus cavus* vocatur. (Hieron. epist. ad Salvinam de viduitate serv. p. 665. 17, ubi eandem quam Horatius tangit de mure fabulam, dicit... *muris ventrem per angustum foramen egredi non valere*). Merkelii coniectura *in cumeris... cavis* tantummodo litterarum apices captare videtur; sensus certe eam omnino non admittit. conferas quae de cumera dicit Acro ad Hor. Sat. I 1. 53: *Cumera vas est ingens vimineum; vel fictile simile doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolae: vel vas minus, capiens quinque sive sex modios. cribris .. cavis*, ut post Heinsium auctorem vulgo edebatur, praeterquam quod iusto longius recedat a scriptura tradita, ob verborum constructionem displicet. *in numeris .. suis* futile est Italorum inventum. quae cum ita sint, mihi simplicissimum videtur reponere codicum lectionem *innumeris cavis*.

Unde femininum illud *quas* v. 64 ortum sit in codicibus *C L* (*M?*) *B R* al. nescio; forte librarii compendium $\widetilde{qs}$ falso legerunt.

V. 67 insignis est error in libris *M Lc*, qui *affecerit* exhibent metro neglecto; neque tamen quidquam aliud legi potest nisi *afficiet*. ceterum haec lectio varians fere una est in *M*, quae correcturam prodat, primo sane obtutu cognoscendam.

V. 68 equidem lectionem consensu librorum *C L B* (*M?*) commendatam *illa*, ut speciosiorem, reponendam esse puto. confer Her. II 125:

Digitized by Google

Et quaecumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse deos;

Her. XVI 215:

Quicumque Iliacos intraverit advena portus,
Is tibi solliciti causa timoris erit.

Hor. carm. III 3. 53:

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis.

idem Sat. I 4. 129:

Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecumque ferunt.....
..vitiis teneor.

Magis usitata est haec conformatio: *si quis... ille* (Reisig, Vorl. ed. Haase p. 360): Tib. I 2. 39; adde Ov. Met. IX 463, Rem. am. 14. potest etiam in comparationem vocari dictio *qui .... ille* saepe adhibita a poetis. (Hor. c. IV 3. 3, Epist. I 2. 51, Sat. I 1. 2, II 3. 96, 4. 12, 5. 29, Epist. II 2. 152, al.). quod ad verborum positionem attinet, cf. Ov. Art. am. I 534: *Non facta est lacrimis turpior illa suis;* ibid. 768, 430, 498, III 24, 260; Rem. am. 14 (*Gaudeat et vento naviget ille suo*), ibid. 348 (*Infelix vitiis excidet illa suis*).

Illa, ut verbum trochaicum, mirum quantum adamat poeta collocare in pentametri pede paenultimo. pronomina *illa* et *ipsa* saepissime confundi a librariis notum est, atque locis, quos supra adscripsi, plerumque aliquot codices deteriores pro *illa* (*ille*) exhibent *ipsa* (*ipse*). quae cum ita sint, in versu, quem tractamus, mihi quidem probabilius videtur *illa* in *ipsa* mutatum esse a correctore, quam *ipsa* in *illa*, in formam hoc quidem loco insignem.

Versus 70 haud scio an pessime sit habitus omnium huius ibelli. equidem perspecta libri Marciani scriptura sat leni eius lmutatione scribendum esse puto:

Et simul inflantis corpora frige fabae.

Quod *M* exhibet *fe·e* i. e. sine dubio *fere* pro *fabae* ex archetypo litteris maiusculis scripto propagatum videtur; postquam scilicet *FABE* in *FARE* abiit, iam proxima erat mutatio *fere*. ad lectionem autem codicis Marciani, unde utique proficiscen-

Digitized by Google

dum est, proxime accedit scriptura quae est in *C frigifere*, cum in reliquis omnibus audaces exstent coniecturae. *inflantis* pro *instantis* palmaris est Marii Nigri coniectura, quam etiam Muretum invenisse testatur Ciofanus.

Quod ad rem attinet, ad *lupinos* in versu antecedenti commemoratos optime quadrat *fabae* notio, ut ad *torrere* in hoc versu *frige*. fabae farina vel lomentum multis locis commemoratur ut medicamentum, quale hoc loco requiritur. ac Martialis Epigrammata III 42 et XIV 60 iam Micyllus adscripsit. adde Diosc. II 127 (*τὸ δ' ἄλευρον τοῦ κυάμου..... σμήχει δὲ καὶ ἀλφούς*), Plin. Nat. Hist. XXXIII 4. (25) 85, Celsus II 32, Galen. VII Simplic. medic. 59, al. fabam autem inflantem vel flatulentam esse non est quod testimoniis comprobem, quae satis superque contulerunt ad hunc locum interpretes. sed si iam fabam inflantem vocari patiamur a poeta, iusto longius processisse videtur Heinsius, qui coniciens *inflantes . . . fabas* etiam obiectum *corpora* attribuit verbo isti per se sat molesto.

Equidem *corpora* hoc loco usurpatum esse puto pro *grana*, quae significatio, etsi non commemoratur in lexicis, tamen his comprobatur exemplis. Ov. Tr. I 5. 48:

Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.

Met. XIV 137:

quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.

Quod autem Ovidius *fabas* tam mire circumscribit, profecto multa et in hoc libello et in reliquis carminibus in primis epitheta rerum simplicium occurrunt, quae nulla alia de causa dicta esse videntur nisi ut epitheton aliquod, quo res illae ornentur, adiciatur. ac quid putas haec significare in Fast. IV 734:

Tertia res durae culmen inane fabae? est haec .. stipula fabacea. quae cum ita sint, lectio ad libri Marciani vestigia reposita ex omni parte satisfacere videtur.

Coniecturam Heinsii in v. 72 propositam *pigris* (pro *nigris*) *molis* non commemorarem, nisi eandem nuper etiam J. J. Cornelissen denuo proposuisset iisdemque quibus Heinsius argumentis commendasset; *Nigris*, inquit (Mnemos. VI. n. s. p. 309), *plane otiosum et absurdum est. Lupini illi et fabae lente comminuenda*

Digitized by Google

erant, quare scribatur pigris; cf. vs. 58 lenta iube scabra frangat asella mola — proinde ac legatur *lenta mola* non *lenta asella*, cuius attributum tritum est *lenta* (vide Am. II 7. 16, Met. XI 179).

Mihi nihil omnino mutandum esse videtur. etenim pumicem, ex quo lapides molares vulgo conficiebantur (cf. Fast. VI 318 *pumiceae molae*, ubi Peter falso interpretatur: *nicht von Bimstein, sondern ausgehöhlt wie Bimstein*), colore subnigro fuisse exempla Pompeis reperta ostendunt, quae accuratissime describit Overbeck, Pompeji, p. 340 sqq. (ed. 3). *Die pompeianischen Mühlen sind aus einem grauen, groben, porösen Tuffstein*, dicit H. Blümner, qui doctissime et copiosissime de molis veterum agit in libro, cui inscripsit: Technologie und Terminologie der Gewerbe und Künste, I p. 23–49. Galenus gl. Hippocr. XIX 18 dicit: *λίθον μέλανα· μυλίτην*, et Strabo XIII 645: *ἄκρα Μέλαινα* (in Asia) *μύλων ἔχουσα λατόμιον.*

In v. 74 utique reponendum est: *Desit, et Illyrica quae venit iris humo* (Merkelius *aprica*). *iris Illyrica*, quod erat genus eius nobilissimum, plurimis locis commemoratur ab antiquis: Plin. N. H. XXI 7. (19) 40: *laudatissima in Illyrico . . proxima in Macedonia.* id. XIII 2. (2) 18, 1. (2) 14, Diosc. I 1 (. . .*Ἔστι δὲ βελτίων ἡ ἰλλυρικὴ καὶ μακεδονική*), Theophr. hist. pl. IV 5. 1, Cels. V 18. 3, Veget. V 31 sq., al. quod *h* exhibet *aprica* audax est coniectura orta e depravata scriptura verbi *illyrica*, quae recepta a Merkelio quantocius est textu movenda.

In v. 77 etsi non liquet, utrum *M de* vel *da* habuerit, tamen illud veri similius est propter scripturam codicis *L*; sensus utique *de* exigit, ac futiles et supervacaneae sunt coniecturae, quas viri docti libris recentibus temere confidentes excogitaverunt.

V. 80 palmaris est sine dubio Scaligeri coniectura scribentis *uncia secta*, cum libri mss. fere omnes perperam praebeant *uncia sexta*, neque ullum equidem video sensum probabilem, quem his verbis possis subicere servata lectione *sexta*, quam plerique amplexi sunt editores; nam ut iam Mario credamus *uncia sexta* idem valere ac *semilibra*, quid quaeso illa significare putemus *quod trahit in partes duas?* exiguum Alcyonii pondus, quale semuncia (uncia secta in partes duas) est, sumptum

Digitized by Google

velle Ovidium ex versu antecedenti licet colligi: *pondere.. quo sim contentus...*

V. 83 (85, 94, 96) *tus* non *thus* scribendum esse iam constat. vide Iordani de hoc verbo disputationem in Hermae vol. XV. p. 541 sqq.

In v. 85 non est quod optimorum librorum lectionem *radenti corpora nitro* in suspicionem vocemus, licet inscitiae Ciofanum accusaverit Heinsius, quod eam tueri ausus est. significat sine dubio Ovidius notissimam illam nitri *acrimoniam* (Plin. N. H. XXXI 10. (45) 115), qua corpora afficiuntur, unde ab antiquis, priusquam saponis usus innotuit, in balneis adhibebatur ad cutem confricandam. Heinsius mire defendere conatur *rad. tubera*, quae lectio post eum vulgo probata est editoribus. sed ut iam libros mss. neglegamus, puto equidem tuberis notionem iam aliam poscere *radendi* significationem; nam quicumque legerit *radere tubera*, de cultro tonsorio cogitabit. certe Plinius in N. H. XXXI 10. (46) 106 sqq., ubi de nitro sat copiose agit, nusquam hoc vel simile verbum usurpat. *in medicina*, inquit 115 sq., *calfacit, extenuat, mordet, spissat, siccat, exulcerat, utile his quae evocanda sint aut discutienda et lenius mordenda atque extenuanda, sicut in papulis pusulisque.* Iuvenalis loco, Sat. V 116, quem adducit Heinsius, vulgo legitur *tradentur tubera* non *raduntur*, et quid e Iuv. Sat. XIV 7 lucremur, ubi legitur *radere tubera terrae*, equidem non assequor.

Ceterum equidem libenter scriberem *rodenti*, si id in libris mss. legeretur. Celsus enim V 6 nitrum et spumam eius in iis enumerat, quae *rodant*, et V 7 nitrum in iis, quae *exedant corpus*. Plinius, qui nitri naturam non multum a sale distare dicit l. c., de ipso sale XXXI 9. (45) 98 *Salis natura*, inquit, ...*omnia erodens*. sed sive *radenti* sive *rodenti* scribimus, retinendum est obiectum *corpora*, quod vulgo adicitur, ubi vires medicae variarum rerum describuntur (Celsus, Plin.).

In v. 86 dubitari non potest, quin genuina sit scriptura *triens*, unde vel per *trihens* (cod *h*), vel propter *trahendi* notionem hoc sensu usurpatam vv. 65, 80 ortum est *trahens* in libris plerisque.

Digitized by Google

Cur in eodem versu invitis codicibus legamus cum Heinsio *utrimque* pro *utrumque*, equidem non video; ut enim v. 71 legitur: *utraque* (sc. *lupini et fabae*) *sex habeant aequo discrimine libras*, eodem fere modo hic dictum est *utrumque* (sc. *tus* et *nitrum*) *iustis ponderibus triens esto.*

In v. 87 post Heinsium vulgo editur *dereptum cortice gummi* libris fere omnibus exhibentibus *direptum.* quam librorum scripturam retinendam esse puto; gummi enim, quod exsudatum a quibusdam arboribus in cortice spissatur, ab hoc ipso divellendum vel diripiendum est[43]). quod autem ad *diripere* pro *divellere* attinet, conferas Met. XI 29: *direptos arbore ramos* (sic Merkel, Korn, *dereptos* Riese), ibid. III 52: *pellem leoni diripere* (Riese *der.*), XV 304: *direpta bicorni terga capro.* Nipperdey ad Tac. Ann. I 35, ubi legitur: *ferrum a latere diripuit*, etiam in Met. X 475 scribendum esse censet: *pendenti nitidum vagina diripit ensem*, quia in Verg. Aen. X 475 Mediceus exhibet: *vagina cava fulgentem diripit ensem. Litore funem diripere legitur* in Verg. Aen. III 266. ceterum hoc verbum multis locis iniuria immutatum esse videtur vi praepositionis *dis* non recte perspecta. cf. de illa Iahnium ad Verg. Georg. II 8; hoc loco et libri mss. et sensus eam tuentur.

In v. 88 ex libris Rhl_2G (?) scribendum esse puto *cubum*, cum reliqui codices, in quibus optimi nostri *MCL*, errore, quem facile excuses, praebeant *cibum*, lectionem sensu omnino cassam. sed Ciofani interpretatio vocis *cubi* mihi non satisfacit. *Adde*, inquit, *modicum cubum e myrrhis pinguibus. id est, tantum ex myrrhis pinguibus detrahe et iis, quae iam dicta sunt, adde, quantus est parvus cubus.* sed cur quaeso detracta pinguis murrae pars ad cubi formam est reddenda, priusquam reliquis adiciatur? nam quod, cum pingue sit, detrahitur, cubi formam ipsum non habet. pro certa autem mensura *cubus* hoc quidem loco usurpari non potest, quia secundum Remum Favinum, De ponderibus et mensuris 62 (Anth. lat., Riese, n° 486), *cubus* hoc sensu pro *amphora* accipitur.

---

[43]) Falsa est Hertzbergii interpretatio: *Gummi.., doch entblösst von der Rinde.*

Digitized by Google

Equidem, quoniam *pinguis murra* genus murrae est proprium (cf. Celsus VI 7. 3, Diosc. I 77), quod facile formari potuisse ex attributo *pinguis* licet conici, suspicor hoc murrae genus tesselatim esse venditatum. κύβος enim vocabulum non solum de figura ab omni parte quadrata, sed etiam de corpore, in quo huius modi forma plus minus conspicitur, usurpatum legitur apud scriptores graecos. apud Athenaeum III p. 114a panes quidam quadrati κύβοι vocantur (cf. Phot. p. 183. 11: κύβοι πλάσεις τινὲς ἄρτων· οὕτως Εὔπτολις); ibid. VII 324c de frustulis quadratis: τὸ δ' ἄλλο σῶμα (τῆς σηπίας sc.) κατατεμὼν πολλοὺς κύβους... Eust. p. 1396 extr. et Etym. M. p. 543. 19: κύβος πᾶσα ψῆφος τετράγωνος. quod autem Ovidius pro vocabulo latino *tessera* graeco *cubus* utitur, id eo facile excusatur, quod cum in ceteris rebus, tum in iis, quas hoc libello tractat poeta, sermonis graeci eundem fere Romae usum fuisse scimus Ovidii temporibus, qui apud nos est franco-gallici. atque ut nos hoc quidem sensu dicere malumus *Flacon* quam *Flasche*, ita Ovidius *modicus cubus* pro *tessera*. cf. quod infra legitur *marathus* dictum pro *foeniculo*.

Heinsius *murrae* notionem ex hoc versu plane expellendam esse censuit, quod paullo post murrae fieret mentio. sed nihil ea res offendit. dicit enim poeta, etsi murrae per se sufficiant, tamen satius esse marathos iis addere, quos si adhibere velis, novenis murrae scripulis quina marathorum esse adicienda.

Genuinam verbi murra scripturam (cf. W. Brambach, Hülfsbüchlein etc. p. 49) vv. 88, 91, 92 servarunt codices *ML*.

In v. 89 post Heinsium vulgo *contriris* editur, cum veteres interpretes *tropum Systolen* statuentes *contriveris*, quam lectionem libri mss. praeter *MC* exhibent, metro neglecto amplecti non dubitaverint; nos istud abicere non dubitabimus. quod Heinsius voluit *contriris* collato Terent. Phorm. v. 318 (II 2. 4), ubi *intristi* legitur, aliae etiam exstant formae huic similes: Catullus, 66. 30: *tristi*, Liv. III 56. 8 (in Appii Claudii oratione): *obtristi* (cf. Kühner, Gr. lat. I p. 503, Neue, Formenl. II 513); sed aliud est syncopen huius modi statuere ante consonas *ss* vel *st*, aliud ante *r*. cum *contriris* possint comparari formae *siris*, *siritis*, similes, quales Neue l. c. ex Ennio, Pacuvio, Plauto affert, easque ipsas plerumque e coniectura petitas.

Digitized by Google

Sed genuinam verbi formam in versu Ovidiano servarunt libri optimi *MC*, dico *contrieris*. nimirum *trivi* est *t(e)r-i-vi*, cf. *quaes-i-vi*, *rud-i-vi* (cf. Kühner I p. 490); *e* vocalis elisa in *trivi* comparet in altera perfecti forma *terui*, tractata a Velio Longo (de orthogr. Keil, vol. VII p. 74. 5 sqq.), quae certa est apud Tibullum (I 4. 48): *atteruisse*. ut autem Ovidius eodem hexametri loco Ex P. I 5. 53, Met. XIII 755 dicit *quaesieris* (– ⏑ ⏑ –), ita hoc loco *Haec ubi contrieris*. *contrieram* certa est plusquamperfecti forma apud Ciceronem, ad. fam. IX 25. 1.

Vv. 91 sq. vulgo editur *marathros*, *marathri* contra librorum omnium scripturam *marathos*, *marathi*, quam nihili esse dicit Heinsius. sed et cum *r* et absque *r* hoc vocabulum in usu fuisse et Graecis et Romanis libri manuscripti testantur, ac plerumque sine *r*, ubi masculini est generis. antiquissimus sine dubio testis est Dioscoridis codex Vindobonensis, qui folio 230ª a prima manu perspicue exhibet: *MAPAΘON* (manus multo posterior adsc.: *μάραθρον*) *OI ΔE IIΠΠOMAPAΘON PΩMAIOI ΦENOYKΔYM* (sic pro *foeniculum*). *MAPAΘON* etiam fol. 229ᵇ supra foeniculi imaginem nitidissimam a prima manu est superscriptum et *μάραθρον* ab eadem illa altera adiectum. sed iam illius scribae aetate (saec. V.) magis usitatam fuisse formam cum *ρ* ex eo cognoscitur, quod in stemmate nominum plantarum toti libro praefixo ab eadem manu exarato legitur: *MAPAΘPON* et *IIΠΠOMAPAΘPON*; in archetypo igitur ille hoc verbum sine *ρ* legit, ipse cum *ρ* pronuntiavit. (in editionibus Dioscoridis sane ubique *μάραθρον* editur). folio 143, ubi de hippomaratho agitur, sic legitur a prima manu exaratum: *IIΠΠOMAPAΘPON OI ΔE MAPAΘIC OI ΔE MAPAΘON ΔΓPION* et in contextu ipso ibidem: *MAPAΘON*. in Plinio promiscue eduntur a Silligio et Detlefsenio formae cum *r* et sine *r*, saepius tamen hae. XXI 9. (30) 54: *nervosi cauliculi maratho*, *hippomaratho* (sine script. discr.); XXX 4. (9) 27: *marathi radices* (scripturae discrepantes sine *r* omnes); XX 22. (96) 255 et 258: *hippomarathum* (lectio varians nulla cum *r*); sed XX 9. (43) 110 sine scripturae discrepantia: *radici marathri*, VIII 27. (41) 99: *marathro herbae*. formas sine *ρ* constanter edidit Schneider in Nicandro (Ther. vv. 33, 301, 596, 893, fragm. 71. 1; eaedem apud Theophrastum repositae sunt

Digitized by Google

e codice Urbinati; item apud Athenaeum: II p. 56 c, (ubi vide Schweigh.) 70 f, IV 131 e, XIII 596 a.

Quae cum ita sint equidem non video, cur apud Ovidium formas sine *r* nihili esse statuamus contra librorum consensum. ut *marathus, marathum*, ita formata sunt *lapathus* (Hor. Sat. II 4. 29, Lucil. apud Cic. fin. II 8. 24), *lapathum* (Celsus II 21, 25, 29, passim Plin. in N. H.). cf. etiam *aspalathus, cyathus*, similia. denique formae *marathus* etiam illud favet, quod, sive id verum sive fictum est', *Marathonis* nomen inde ortum esse tradit Strabon III p. 160.

In v. 92 cum libris optimis (*MCL*) scripsi *scripula*, cum vulgo *scrupula* edatur; illam formam genuinam esse viri docti aliunde statuerunt (vid. Brambach, die Neugestaltung der lat. Orthogr. etc. p. 256).

Cur v. 92 *trahant*, quod ne in uno quidem libro invenitur, sed e Mureti coniectura propagatur, nunc legatur in editionibus, me non intellegere fateor. certe propria notio latina in numeris computandis pro germanico *ausmachen*, *betragen* est *facere*, *efficere*. nonne autem *poeta*, cum iam bis trahendi verbum usurpasset, variandi causa eodem fere sensu quo *facere* dicere potuit *parare?* nec vero credibile est trahendi notione duobus locis servata (vv. 65 et 80) tertio pro eadem singularem *parent* esse illatam a librario, neque errore tralaticio ex *trahant* oriri potuit *parent*.

In v. 93 utique amplectendus est coniunctivus *prehendat* non *prehendit*, quod ex *h* edidit Merkel. ut unum pro multis afferam exemplum: Plin. N. H. XXXII 9. (31) 101: *inflationes* (*pellunt*) *castorea cum dauci semine et petroselino, quantum ternis digitis sumatur.*

Item. v. 95 plurimorum librorum consensus tuetur *affunde; infunde*, quod Merkelius edidit, futile est Itali cuiusdam inventum.

In constituenda scriptura versus 97, quae etiam in optimis codicibus est depravata, mihi respiciendi esse videntur versus 67 sq.:

Quaecumque afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo levior illa suo.

Digitized by Google

Inde equidem, etsi hi versus paullo longius distant, logicum petiverim subiectum ad eam verbi *esse* formam v. 97, quam optimi codices exhibent: *sit* (*illita*). quod autem Heinsius in tertia persona hoc loco offendit, quia vv. 69 et 73 *tu*, *tibi* legitur, hae personae secundae non ita premendae sunt; istud *tu*, *tibi* enim in praeceptis plane in universum dictum est. quodsi in iis quae secuntur e codice *R*, qui etiam supra illud *placet* pro *placent* (v. 44) et *cubum* pro *cibum* (v. 88) servavit, *molli* reposueris, cum *CLM* levi errore *mollis* exhibeant, iam omnia optime se habebunt: (*eadem*) *Tempore sit p. molli licet illita vultu*... quod *vultus mollis* vocatur, priusquam medicamine est emendatus, cf. v. 100: *teneris*... *genis*.

V. 98 nescio quo pacto editores scribere potuerint *multus*, cum libri mss. plerique consentiant in scriptura *nullus*.

Etenim ut iam difficiliorem explicationem habeat *nullus*, at adiectivo *multus* ipsum *haerebit* verbum repugnat. ac si rebus in versibus antecedentibus commendatis color in vultu efficeretur, certe aliter locutus esset poeta. sed, quod maximi est momenti, illae colorem non efficiunt, nedum multum colorem: *Tus*, quod rodit (Cels. V 6) et purgat (V 5), faciem sinceram reddit secundum Plinium (N. H. XIII 22. (43) 126 (cf. Diosc. I 81: *δύναται ἀποκαθαίρειν τὰ ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις*). quod ad *nitrum* et *sal ammoniacum* attinet, conferas Plin. XXXI 9. (45) 105: *quicumque sal zmegmatis additur ad extenuandam cutem levandamque. murra* rodit secundum Celsum l. c. *mel cutem purgat*.. *cum nitro*, Cels. V 16. *foeniculi semen* et *rosa* reprimunt et refrigerant (cf. Cels. II 33. 1), unde haec vulgo adhibebatur contra inflammationes (Diosc. I 130, Plin. XXI 19. (73) 123). *hordei cremor* idem fere est ac Hippocratis *χυλὸς τῆς πτισάνης*, de quo ille dicit De morbis mul. II p. 595 (Lind.), p. 853 (Kühn): ... *ὁμοίως λαμπρύνει* (sc. *τὸ πρόσωπον*) i. e. *purgat vel emundat*.

Quid igitur *multum colorem* efficiat, parvo licet tempore sit impositum, equidem non video. immo poeta, cum v. 52 dixerit se traditurum esse, quo modo mane ora candida possint nitere, medicamenta omnino huc pertinentia exponit. quibus cum ora *candida* facta fuerint, color ipse fuco sine dubio iis erit indu-

Digitized by Google

cendus[44]). etiam *papaver* vv. 99 sq. commendatum, quod *reprimit et refrigerat* (Cels. II 32, Diosc. IV 65, Galen. Simpl. medic. VII 12. 13: *ἐκ τῆς τετάρτης ἰσχάτης τε τάξεως τῶν ψυχόντων*), contritum et cum aqua gelida genis illitum sine dubio pallorem efficit, i. e. nullum colorem.

Sensus igitur ipse librorum mss. lectionem *nullus* postulat.

---

[44]) Plane perverse hos versus et explicavit et interpretatus est Hertzberg. *V. 99 und 100*, dicit ille l. c. p. 1664, *ist dann ein extemporirtes Hausmittel zum Auftragen von Farbe.* (?) *Denn man muss an die Blätter des rothen Mohnes (der sogen. Klatschrose) denken.* haec profecto simplicissima esset rubri fuci compositio, ut rubra rhoeadis folia contrita — en iam habes rubrum colorem — et aqua madefacta pro fuco genis inducerentur!

Sed ut paucis etiam de illo fuco rubro, cuius compositionem vv. 69—82 exponi sibi finxit Hertzberg, hoc loco absolvam, videtur vir ille doctus ad hanc sententiam eo potissimum perductus esse, quod v. 73 *rubentis nitri spuma* et *cerussa* commemorantur — nam reliquas res his versibus commendatas ad fucos vel pigmenta conficienda apta esse non posse nemo non videt; sed neque *aphronitri* (id enim est *spuma nitri;* cf. Martialis XIV 58) neque cerussae hoc quidem loco color respicitur, sed vis medica. rubens autem attributum propter ea adicitur, quod secundum Plinium, N. H. XXXI 10. (46) 113, ea est aphronitri probatio, *ut sit colore paene purpureo.* de nitro ipso Plin. N. H. XXXI 10. (46) 116 dicit: *extenuat scabritias genarum cum fico inlitum*, quam vim collato eiusdem loco (ibid. 110): *In nitro optimum quod tenuissimum, et ideo spuma melior*, etiam aphronitro tribuemus. ceterum et nitri et aphronitri usus in medicina latissime patebat apud veteres. itidem cerussae, quam sane usitatissimam fuisse in fucis conficiendis ut minium, creta, purpurissum, alia (cf. Becker-Rein, Gallus III³ p. 118) notum est, hoc loco tangitur vis medica, de qua cf. Diosc. V 103 Spr. (*Δύναμιν ἔχει ψυκτικήν, ἐμπλαστικήν, μαλακτικήν, πληρωτικήν, λεπτυντικήν· ... μιγνύμενον κηρωταῖς καὶ λιπαραῖς ἐμπλάστροις καὶ τροχίσκοις*), Plin. N. H. XXXIV 18. (54) 176 (*vis eius eadem quae supra dictis* (sc. *refrigerandi, lenissima tantum ex omnibus, praeterque ad candorem feminarum*), XXVIII 12. (50) 183, 9. (37) 139, 18. (74) 241 al.

De fucis igitur vel pigmentis non agit Ovidius.

Digitized by Google

Varietas lectionis Merkelianae.

v. 5 succos, (37 succo), 6 Fissaque] Cultaque, 12 Maluerant, 14 Assiduo durum] Assiduum duro, 17 vestrae] nostrae, 20 Conspicuas... manus, 23 indignum, si, 24 vestra] nostra, 25 poliuntur, 27 quos et venentur, 31 quaecumque] cuicumque, 32 sua est, 34 multa, 35 consurget] nos uret, 41 Temeseïa moverit, 51 Discite, 59 cadunt, 60 face, 62 innumeris... cavis] in cumeris... cavis, 68 illa] ipsa, 70 inflantes corpora frige fabas, 74 Illyrica] aprica, 85 corpora] tubera, 86 utrimque, 87 dereptum, 88 (91) myrrhis (92 myrrha), 89 contriris, 91 marathros (92 marathri), 92 parent] trahant, scrupula, 93 prehendit, 95 infunde, 97 sint, 98 nullus] multus.

Merkelii textum repraesentavit Riese, nisi quod v. 3 Cerialia, *5 et 37* sucos, suco, *23* sit *scripsit.*

Digitized by Google

PARS II.

Ovidii esse libellum de medicamine faciei.

Quaestionem de origine libelli quem tractamus nondum expeditam nedum absolutam esse iam supra diximus. etenim Borrichius, ad quem vulgo relegamur, nihil aliud dicit in diss. de poetis I §. 22 (Ovidii op. ed. Burm. t. IV. p. 227) nisi: *Plura scripsisse Ovidium constat, ...sed Philomelam, Panegyricum ad Pisonem, Pulicem et de medicamine faciei non esse Ovidianos foetus consentiunt eruditi,* et G. I. Vossius, ad quem itidem nos reiciunt vv. dd., in Orat. instit. V, III. 2 (de *ΕΠΙΣΤΡΟΦΗι*) nihil aliud nisi: *Scite quoque Ovidius: Rare* (sic) *latent: finguntque comas licet arduus illas Celet Atlas* (sic), *cultas altus habebit Atlas. Locus est lib. de Medicamine faciei, quem mali aliqui ab Ovidio abiudicant, cum pro suo ipse agnoscat in III. de Arte: Est mihi quo dixi etc.* accuratam vero de hac re disputationem nusquam invenies.

Quae cum ita sint equidem rem, quoad potero, absolvere conabor.

Gravissimum igitur Ovidii ipsius testimonium sunt vv. Art. am. III 205 sqq.

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
Parvus, sed cura grande, libellus, opus,
Hinc quoque praesidium, laesae, petitote, puellae
Non est pro vestris ars mea rebus iners.

Quodsi contra hoc testimonium statuere vellemus libellum, qui sub Ovidii nomine de hac compositus materia ad nos pervenit, genuinum non esse, tantae in eo aut rerum aut verborum

Digitized by Google

difficultates essent demonstrandae, ut legitimum opusculum periisse, subditicium exstare possemus suspicari — ut fere de epistula Sapphus in Amor. II 18. 26 a poeta ipso commemorata viri docti iure, ut equidem putaverim, statuunt.

Quod ad prius illud attinet, dico materiam ab Ovidio tractatam, equidem libenter confiteor me ipsum re nondum perspecta hoc potissimum scrupulo laborasse, quod a poeta tam vero tamque *divite vena* praedito, qualem Ovidium esse inter omnes constat, alienum, ne dicam eo indignum esset praecepta medica conscribere et, quae res et quantum cuiusque esset sumendum, tam accurate tamque scite, ut videtur, exponere, ut iamiam medicamentarii officinae ea tradere possis exsequenda: tale enim alterum fragmenti nobis servati dimidium esse videmus.

Sed ut iam hanc difficultatem expediam, Ovidius profecto etiam in his rebus optime versatum se praebet atque in carminibus amatoriis haud pauca prodit huius generis arcana. quid enim *creta, parva aluta, tenuis favilla, crocus* prosint, ille scite docet in Art. am. III 199 sqq. ut *faex vultu illita*, ut *oesupa Athenis missa*, ut *cervae medullae* diligenter occultentur, deinde praecipit; *oesupum* etiam in Rem. am. 354 commemoratur, et possint alia etiam huius generis afferri exempla. sed quid multa: si laesis puellis praesidium est petendum, omnia accurate describantur necesse est. adde quod, si respicimus Ovidium in medicaminibus conscribendis cum alia tum maxime varias herbas sumi iubere, quarum vires etiam in reliquis carminibus tangere et exponere adamat (cf. Art. am. II 415 sqq., Rem. am. 797 sqq., al.), suspicari possumus alicuius momenti fuisse ad argumentum hoc remotius aggrediendum consuetudinem Macri poetae, de quo ipse dicit in Tr. IV 10. 43:

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque nocet serpens, quae iuvet herba, Macer;

quo duce Asiae et Siciliae urbes adiisse videtur (cf. Ex P. II 10. 21 sqq.). ceterum quid non aggredi paratus erit iuvenis, qualem Ovidium fuisse videmus, puellis gratificaturus?

In externo autem, ut ita dicam, libelli quamvis truncati habitu multa mihi exstare videntur indicia, quae artem et ingenium Ovidii prodant, si insignia quaedam atque notabilia in verborum dilectu condonaveris sermoni poetico. res enim metris

Digitized by Google

minime faventes versibus tam elegantibus videmus expressas, ut ne talia quidem habeant duriuscula, qualia in reliquis carminibus sibi permisit Ovidius; equidem certe ne minimam quidem inveni in versuum structura offensionem. contra multa produnt Ovidium, quae ut non tanti sint singula, tamen coniuncta vix ullam superesse dubitationem de carminis huius auctore patiuntur.

Ac primum quidem quod Ovidius saepius quam ceteri poetae Romani suos ipse versus aut totos aut saltem versuum partes solet repetere, in complures huius libelli versus cadit. sunt autem hi (passim etiam tales adscribam versus, qui insignem prae se ferunt similitudinem structurae; nam et hoc aliquid argumenti habere videtur, si haec intercedit similitudo:

v. 8. *Nigra sub imposito marmore terra latet*
Am. I 8. 104: *Impia sub dulci melle venena latent*):
6: *Fissaque adoptivas accipit arbor opes*
A. a. II 652: *Firmaque adoptivas arbor habebit opes*
8: *Nigra sub imposito marmore terra latet*
Fast. II 72: *Concitat, aut posita sub nive terra latet*
(Am. I 8. 104 v. supra)
11: *Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae Maluerint...*
Am. I 8. 39: *Forsitan inmundae, Tatio regnante, Sabinae Noluerint...*
14: *Assiduum duro pollice nebat opus*
Ibid. 76: *Quaeque ratum triplici pollice netis opus*
18: *Vultis inaurata corpora veste tegi*
Her. XIII 32: *Nec libet aurata corpora veste tegi*
19: *Vultis odoratos positu variare capillos*
Am. III 1. 7: *Venit odoratos Elegeia nexa capillos*
(Met. II 412: *Nec positu variare comas*)
21: *Induitis collo lapides oriente petitos*
Met. VII 266: *Adicit extremo lapides oriente petitos*
23: *Nec tamen indignum: sit vobis cura placendi*
Am. I 10. 53: *Nec tamen indignum (est a divite praemia posci)*
31: *Est etiam placuisse sibi quaecumque voluptas*
Her. XII 21: *Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas*
» XVI 131: *Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas*

Digitized by Google

Trist. IV 3. 37: .....*est quaedam flere voluptas*
32: *Virginibus cordi grataque forma suast*
A. a. I 624: *Virginibus curae grataque forma suast*
33: *Laudatas homini volucris Iunonia pennas*
Explicat
Am. II 6. 55: *Explicat ipsa suas ales Iunonia pennas*
A. a. I 627: *Laudatas ostendit avis Iunonia pennas*
34: .....*forma muta superbit avis*
A. a. III 103: .....*forma quota quaeque superbit*
38: *Nec temptate nocens virus amantis equae*
Am. I 8. 8: *Licia, quid valeat virus amantis equae*
41: *Et quamvis aliquis Temesaea removerit aera*
Fast. V 441: ..... *Temesaeaque concrepat aera*
46: ..... *vultus aratus erit*
Am. I 15. 16: ..... *semper Aratus erit*
50: *Perque suos annos...*
Am. II 2. 46: *Ante suos annos*
58: *Lenta iube scabra frangat asella mola*
A. a. III 290: *Ut rudit a scabra turpis asella mola*
F. VI 318: *Et quae pumiceas versat asella molas*
F. VI 312: *Et velant scabras florida serta molas*
59: *Et quae prima cadent vivaci cornua cervo*
Met. III 194: *Dat sparso capiti vivacis cornua cervi*
74: *Desit et Illyrica, quae venit iris humo*
A. a. II 422: *Bulbus et ex horto quae venit herba salax*
84: *Nec tamen accensis omnia danda focis*
F. I 76: *Et sonet accensis spica Cilissa focis*
87: *Parte minus quarta..*
F. V 379: *Nocte minus quarta...*
89: *Haec ubi contrieris, per densa foramina cerne*
[Met. XII 438 (B): *Manat et exprimitur per densa foramina spissus*]
98: *Haerebit toto nullus in ore color*
Am. II 11. 28: *Quam tibi sit toto nullus in ore color*
A. a. III 74: *Et perit, in nitido qui fuit ore, color*
„ „ 730: *Et mens et rediit verus in ora color*

His pauca quaedam adicere liceat leviora, quae, cum in reliquis carminibus Ovidianis usitatissima esse videamus, etiam in hoc libello leguntur.

Digitized by Google

Tamen particula tantum non ubique ita posita legitur ut in v. 23 et 84, scilicet, ut thesim primi dactyli efficiat vocula monosyllaba antecedente:

Nec tamen: Am. I 10. 53, 14. 9, II 5. 59, 6. 47, III 4. 33, 10. 17, 12. 19; A. a. II 333, III 25, 476; Rem. am. 288, 318; Her. III 99, IV 95, XII 117, XV 267, XVI 35, 197, XVII 99, 145; Fast. I 487, II 567, VI 57; Tr. V 7. 37, 12. 59; Ex P. I 2. 63, 3. 87, 5. 17, 7. 23, II 2. 113, III 8. 5, IV 2. 15, IV 8. 43, 72 etc.

Non tamen: A. a. III 209; Rem. am. 349, 750; Her. V 83, VII 27, X 144, XIV 13, XVI 25, 62 etc.

Sed tamen: Am. II 2. 35, 10. 15, 13. 5, III 9. 47, 14. 4; A. a. I 19, 236, II 192, 255, 441, III 490; Rem. am. 233, 238, 652; Her. III 4, XII 142, XIV 21, XV 132, XIX 219 etc.

Si tamen: Am. II 9. 51, 13. 27, III 6. 11, 9. 59, 14. 43; A. a. I 383, 715; Rem. am. 107; Her. IV 31, XV 9, XIX 32 etc.

Sic in primis ponuntur in fronte versuum ante *tamen* monosyllabae *pronominum* et verbi *esse* formae et alia monosyllaba. (exempla huiusmodi ex Heroidibus collegit Sedlm. l. c. p. 40 adnot. 38)

Itidem usitatissima est ea particulae *etiam* positio, quam in v. 31 habemus, ut thesim primi et arsim alterius dactyli efficiat antecedente voce monosyllaba.

Est etiam: Am. I 8. 33, II 3. 13, 4. 21, 4. 40; Trist. I 9. 35 (M); aliis monosyllabis praecedentibus: Am. III 9. 18; A. a. I 579, II 269; Rem. am. 9, 133, 331; Her. III 57, XV 141; A. a. II 639; Rem. am. 524; Her. XVIII 144; Rem. am. 614; Her. XVII 95, XVIII 144; A. a. I 229, alia.

Discite in fronte versuum (v. 1): Am. III 8. 25; A. a. III 298, 455; Rem. am. 43; Fast. IV 145; Met. IV 287, VIII 392, 438.

De *Dic age* (v. 51) cf. supra p. 66.

Iamque ubi (v. 61, cf. *Haec ubi* v. 57 et *Tus ubi* v. 85, quae collocatio particulae *ubi* itidem est usitatissima): Fast. II 635, III 449.

Tempus erit quo (v. 47): A. a. III 69; F. V 497, I 529; Her. X 7; Tr. IV 8. 25, (3. 55).

Digitized by Google

Ad v. 84 (*Nec tamen accensis omnia d. focis*) hoc adnotaverim, Ovidium, cum omnino adamet ad verbum in fine pentametri collocatum epitheton ante diaeresim ponere[45]), in verbo *focus* huic consuetudini adeo indulgere, ut, cum pluralis huius verbi cum epitheto tricies quater sit adhibitus in carminibus metro elegiaco scriptis, uno tantum loco alia exstet positio (Trist. IV 2. 13), reliquis omnibus ea quae v. 84; sunt autem loci hi: Fast. I 76 (*accensis*); IV 510 (*arsuris*); Am. III 6. 76, Fast. III 142, 418, VI 456 (*Iliacis*); F. I 452 (*Idaliis*); Fast. II 646, III 284 (*tepidis*); Trist. V 11. 18, Ex P. I 3. 34 (*patriis*); Ex P. II 1. 32 (*sanctis*); Fast. III 734 (*sacris*); ibid. 698 (*castis*); Her. II 18 (*turicremis*); Fast. IV 638 (*fumosis*); Fast. III 728 (*gelidis*); ibid. I 670 (*paganis*); IV 742 (*mediis*); II 542 (*positis*). in accusativo casu: A. a. I 638; Her. XIV 26; Fast. I 630, III 30, IV 296, 410, V 308, VI 308; Tr. I 3. 44, IV 1. 102, V 5. 10; Ex P. I 1. 52, IV 8. 42. (itidem singularis: Fast. IV 334, VI 532, 630; aliter Fast. IV 698, 824).

Quod ad sententiarum decursum attinet, mirum quantum Ovidius eum adamat, quem videmus v. 3 sqq., v. 23 sqq., v. 39 sqq., ut post thema aliquod propositum continuo similitudines ponat nullo transitu vel vinculo intercedente. ut unum alterumve afferam e ceteris carminibus exemplum — latissime enim hic usus patet — Rem. am. 44 sqq.:

Una manus vobis vulnus opemque feret.
Terra salutares herbas eademque nocentes
Nutrit, et urticae proxima saepe rosa est.

A. a. II 177 sqq.:

Si nec blanda satis nec erit tibi comis amanti,
Perfer et obdura: postmodo mitis erit.
Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus;
Frangis, si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquae etc.

Adde A. a. I 469 sqq., Rem. am. 259 sqq., Am. I 8. 49 sqq. alia.

Praeterea libello de med. f. cum aliis carminibus Ovidianis haec sunt communia:

---

[45]) cf. De med. fac. vv. 4, 6, 14, 42, 58, 62, 70, 72, 74, 82, 84, 94, 96, 100.

Digitized by Google

Ovidius cum Tibullum secutus multis locis verba faciat de vi incantamentorum, eandem tangit vv. 39 sqq. locos huc spectantes collegit A. Zingerle (Ovidius u. s. Verh. z. d. Vorg. I p. 75). sunt autem hi: Amor. I 8. 5 sqq., II 1. 23 sqq., Rem. am. 253 sqq., Metam. VII 199 sqq., XII 263 sq.; adde Am. III 7. 31 sqq. et cf. A. a. II 102.

Idem ut v. 11 sqq. Sabinarum contemptim saepe tangit rusticitatem: cf. Am. I 8. 39, II 4. 15, III 8. 61.

Cum v. 77, ubi *de querulo Alcyonum nido* dicit, cf. Her. XVII 82, Tr. V 1. 60, Met. XI. 733 sqq.

De artificioso capillorum positu et ornatu, quem v. 19 commemorat, ille saepissime verba facit, copiosissime in A. a. III 137 sqq. cf. Am. I 11. 1, I 14. 1 sqq., 25 sqq., II 8. 1, A. a. III 133, Ex P. III 3. 16, al.

Denique hae quaeso conferantur monitiones, quarum una in libello, de quo agimus, vv. 43 sqq. ad puellas, altera in A. a. II 107 sqq. ad adulescentes est directa. ac puellas his adloquitur poeta:

Prima sit in vobis morum tutela, puellae:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est; formam populabitur aetas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit et longum probitas perdurat in aevum,
Perque suos annos hinc bene pendet amor.

adulescentes autem his:

Sit procul omne nefas. ut ameris, amabilis esto,
Quod tibi non facies solave forma dabit....
Ut dominam teneas nec te mirere relictum,
Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor et spatio carpitur ipsa suo.....
Et tibi iam venient cani, formose, capilli,
Iam venient rugae, quae tibi corpus arent.
Iam molire animum, qui duret, et adstrue formae:
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Digitized by Google

Nonne haec eundem produnt poetam ac tamquam invicem inter se respondent?

Conf. praeterea vv. 35 sq. cum Her. VI 93 sq.; vv. 3 sq. cum A. a. III 101 sq.; v. 24 cum A. a. vv. 107 sq.; vv. 18 sqq. cum vv. 129 sqq., quae Artis amatoriae pars, dico III 101 sqq., colore omnino est simillimo.

Haec igitur omnia, quibus multa etiam alia addi possint, mihi satis gravia atque ea esse videntur, quae libelli de med. f. fragmentum nobis servatum ab Ovidio ipso profectum esse demonstrent. quantus autem libellus fuerit, dum integer erat, quot versus perierint temporum iniuria, plane nescimus neque cum aliqua probabilitate possumus suspicari. Ovidii ipsius verba *parvus libellus* modicum sane produnt ambitum — etsi ex *libelli* notione nullam omnino coniecturam facere licet de numero versuum; certe Fastorum liber primus v. 724 *libellus* vocatur (cf. Tr. II 549: *Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos*), contra in Tr. V 7. 59 carmen duodeseptuaginta versuum, cf. ibid. 12. 61 — tamen, dum infinitam paene multitudinem earum rerum perlustro, quae cutem in facie utcumque emendare videbantur antiquis[46]), Ovidium etiam quinquies centenos versus de facie emendanda conscribere potuisse non negaverim.

Utrum autem Charisius, qui fragmenti nobis servati versum 39 attulit, libellum etiamtum integrum habuerit, an idem quod nos fragmentum, incertum est; sed tamen versus, qui nobis praesto sunt, ille legit sub nomine Ovidii. ceterum Charisii testimonium

---

[46]) cf. Hippocratis De morb. mul. II p. 853 sq. (Kühn), Celsus V 16, 13, 5 al., Plinii N. H. indicem Silligii s. vv. *facies, cutis* al., quae fere omnia inveniuntur apud Dioscoridem et Galenum, Q. Sereni Sammonici de medic. XI (*Cutis et faciei vitiis propellendis*). Crito medicus quidam Hadriani temporibus quattuor grandes *Cosmeticorum* libros conscripsit nunc deperditos; singulorum tamen capitum argumenta et passim ampliora excerpta dedit Galenus, *De comp. medic. sec. locos I 3 sqq.* (*tom. XIII*). cf. praeter ea Leutschii disputationem in Encycl. Hal. III ser., t. 8 p. 78 sq., Böttiger-Fischer, Sabina p. 24 (ed. 3), Blümner, Technol. u. Term. etc. I 354. qui hanc antiquitatum privatarum partem, cuius valde manca est cognitio, aggredi voluerit, ordiri poterit e D. W. Trilleri dissertatione *De remediis veterum cosmeticis eorumque noxis* (Opuscula med. ac medico-philol. Francof. et Lips. 1766—72 I p. 496—508), in qua doctus ille medicus libros et veterum aliquot locos huc spectantes enumerat.

Digitized by Google

unum est, quod mihi invenire contigit[47]). Tertulliano, qui de cultu feminarum duos libros conscripsit, Ovidii libellus ignotus fuisse videtur; certe veri simile est eum ut feminas cultui nimis inservientes, ita cultus magistrum ipsum Ovidium fuisse perstricturum. neque in Plinii Naturali Historia, ubi vestigia quaedam exstare suspiceris, quidquam inveni, quod ad Ovidii fragmentum nobis servatum spectaret, etsi medicamenta commendata ab Ovidio fere omnia etiam ab illo commemorantur. sed neque horum neque aliorum silentium tanti est, ut diserta Ovidii ipsius verba ad opusculum quod ad nos pervenit transferre dubitemus. itaque quod iudicium doctissimus poetarum Romanorum aestimator, Angelus Politianus, quattuor abhinc saeculis celeri calamo adlevit codici suo, id ut ex accurata, atque subtili Ovidii cognitione ortum et meum facio: *Hoc opusculum esse Ovidii pro certo habeo, uel quod Ovidianus scribendi color est, vel quod pro suo libellum ipse agnoscit.*

---

[47]) Hic inicienda esse videtur mentio loci insignis Pliniani in N. H. XXX 4. (13) 33 = fragmentum XVIII apud Riesium. dicit enim Plinius: *Anginis felle anserino cum elaterio et melle citissime succurritur, cerebro noctuae, cinere hirundinis ex aqua calida poto. huius medicinae auctor est Ovidius poeta.* (cf. indicem libri XXIX in fine). iam cum hoc medicamentum, quod Plinium ex Ovidii carminibus desumpsisse patet, neque in iis quae nos habemus exstet neque in carminibus deperditis, quorum quidem ad nos vel fragmenta pervenerunt vel notitia, ullum inveniatur, in quo medicamentum anginis aptum commode possit collocari, mihi aliquam probabilitatis speciem habere videtur illud olim libello de medicamine faciei etiamtum integro fuisse insertum, sive quod vocis sonum cantumve tangeret poeta, sive quod anginis etiam vultum deformari putaret.

Digitized by Google

Appendix.

Cum hic libellus iam prelo esset subiectus, Henricus Schenkelius meus, qui nuper Franco-Galliam et Britanniam peragravit duorum codicum, Menteliani et Bodleiani, ad me misit collationes, quas cum adnotationi criticae commode intexere non possem, huc reiciendas esse putavi.

Codex Mentelianus, quem ad vv. 21 et 51 commemorat N. Heinsius, nunc adservatus in bibliotheca Parisina sub n° 7994, est membranaceus saec. XIII. insunt in eo secundum catalogum (Melot, IV p. 419) haec: 1. P. Ovidii Nasonis Heroides, 2. Eiusdem Amorum ll. tres, 3. Eiusdem De arte am. ll. tres, 4. Eiusdem De remedio amoris ll. duo, 5. Eiusdem Carmen in Ibin, 6. Eiusdem Elegia de nuce, 7. (fol. 112) Eiusdem Libellus de medicamine faciei (inscr.: *Incipit ouidi' de medicamīe fatiei*, subscr.: *Explicit ouidi' de medicamīe fatiei fatiei* sic), 8. Eiusdem Somnium, 9. Bernardi Silvestri megacosmus et microcosmus.

Codex Mentelianus, quem cum Neapolitano (priore) et editione Naugeriana in libello de medicamine fac. optimum duxit Iahn (t. II. praef. pag. XX), proxime mihi accedere videtur ad codicem Cheltenhamianum, quem tamquam medium locum inter *M* et alteram librorum familiam obtinere supra diximus, quamquam pluribus quam *C* locis exhibet lectiones a manu illa retractanti illatas. ubi in iis quae exhibet carminibus codicum recensitorum familiae rationem haberi ex usu esse videbitur, dignus erit, qui inspiciatur.

Codex Bodleianus (*Auct. F. 4. 24*) chartaceus saec. XV. Ovidii carmina amatoria aliaque eius carmina complexus fol. 144^{b} sqq. exhibet Libellum de med. fac. inscriptione hac praefixa: *P. Ouidii Nasonis de Medicamine fatiei.* Hic liber, etsi magis quam ceteri huius aetatis cum *MCL* congruit, tamen et communibus illis alterius codicum familiae vitiis et passim inventis singularibus est inquinatus, ita ut nullam fere eius auctoritatem esse pateat. singularis lectio v. 41 *reliquerit* pro *removerit* forte ex hoc

Digitized by Google

codice superscripta est in *C* (cf. vv. 88, 91 sq. *murris, murra*). sed iam collationes ipsas ad textum supra constitutum accommodatas subiciam ita, ut codicem Mentelianum-Parisinum significem littera *P*, Bodleianum littera *d*:

1 Discite *litteris minutis in margine exaratum habet d;* fatiem *P qui saepe* t *pro* c. 2 forma] cura *Pd.* 3 tereالia *P.* 5 succos *Pd.* 6 Fissaque *P*, Fixaque *d.* Culta] Multa *P.* 9 aheno *d.* 10 delitiis *Pd.* 12 Maluerint *Pd.* 13 sedile' *P.* 14 Assiduo durum *P*, assidue durum *d.* 17 nostrae *d* (*e sil.*); teneras matres *Pd.* 19 positos *Pd.* 20 conspicuam manum *d*, conspicuas manus *P* (*e silentio*). 21 stridente paratos *P*, tridente petitos *d.* 22 honus *d.* 24 nostra *e sil. Pd.* 25 patiuntur *d.* 26 nupta] unda *d.* 27 paret et quos ueneretur *Pd.* 28 meret *Pd.* 29 fugiuntque *d*; illos *d.* 30 saltus *Pd.* 31 quaecumque *Pd.* 35 consurget] uos urget *P*, nos (*e sil.*) terget *d.* 37 succo *Pd.* 38 tentate *d.* 39 funduntur *P*; agnes *d.* 41 theneesa *P*, tenesea *d*; removerit] reliquerit *d.* 44 faties *P* (?), facies *e sil. d*; placent *Pd.* 45 est (·e·) *in rasura a m. 1. P.* 51 Dic age *Pd* (*P in marg. a manu coaeq.:* Pro sic); sompnus *P.* 53 (56) Ordea *Pd*; quã *d*; lacrimis misere (*alterum* e *in rasura a manu 1.*) *P.* 55 ervi] herbe *P*; medefiat *P.* 59 cadent *P*, mouent *d.* 60 in haec solida *Pd*; face *P* (*e sil.*), fac *d*; axis *d.* 61 Nanque *d.* 62 innumeris · · cavis *Pd.* 63 bullos *Pd.* 64 quas *Pd.* 67 afficiet] affecerint *d.* 68 illa *Pd.* 69 torrere] pallore *Pd.* 70 instantis corpora frigifere *Pd* (rę). 73 Nec tibi censina *d.* 74 illirica *Pd*; yris *Pd.* 76 tristis *d.* 77 da *Pd.* 78 altionea *P*, alcionea *d.* 79 contemptus *P.* 80 untia *P*; sexta *Pd.* 82 addice *d.* 83 (94, 96) thura (85 thus) *P.* 84 accensis tamen *P* (*manus recens sp. transponendi signa* a b). 85 radenti corpora nitro *Pd.* 86 utrumque *Pd*; trahens *Pd.* 88 mirris *P*, mũris *d*; cibum *d*, cubum *P* (*e sil.*). 89 contrieris *Pd* (?). 91 marathos *Pd.* myrris *P*, mũros *d.* 92 parent *Pd;* marathi *Pd*; scripula *P*, scrupula *d*; myrra *P*, mũra *d.* 93 prehendat *P*, prehendit *d* (*e sil.*). 94 armoniaco *d*, amoniaco *P.* 95 Orde *P*, Ordea *d*; afunde *d*, affunde *P.* 97 sit *P*, fit-mollis *d.* 98 nullus *Pd.* 99 limpha *Pd.*

Digitized by Google

Indiculus rerum et verborum notabilium.

'age' quibus verbis adiectum sit apud Ovidium p. 66 (v. 51).
Alcyonum questus p. 86.
'altus' montium attributum frequens apud Ovidium p. 62 (v. 30).
amores venari p. 60 (v. 27).
anulis sinistrae potissimum manus digiti ornantur p. 57 (v. 20).
aphronitri (spumae nitri) vis medica p. 78 (adn. 44).
attributorum in hexametro Ovidiano dispositio p. 56 (v. 17).
aura dictum de splendenti pulchritudine p. 51 sq. (v. 2.
aura, cura (ora) confunduntur in ll. mss. p. 51 sq. (v. 2).
aures lapidibus oneratae p. 58 (v. 22).
de medicamine aurium poematii versus primi duodecim p. 29 (adn. 23).
ἀυτμή de splendore p. 52 (v. 2).
capillorum positum atque ornatum saepe tangit Ovidius p. 86.
'cavus (cavum)' de foramine p. 68 (v. 61).
cento Vergilianus in codice Riccardiano p. 13 (n. 11).
'Cerealia semina', non 'munera' dicit Ovidius, ubi proprie de serendo sermo fit p. 52 (v. 3).
cernere pro cribrare p. 67 sq. (v. 62).
cerussae vis medica p. 78 (adn. 44).
consurgit amor et similia p. 64 (v. 35).
contrieris, non contriris p. 74 sq. (v. 89).
corpora pro granis p. 70 (v. 70).
'cubus murrae' quid significet p. 73 sq. (v. 88).
cumera p. 68 (v. 61).
dicere pro canere p. 48 extr. sq.
'diripere' saepe falso mutatum in 'deripere' p. 73 (v. 87).
'disce' non coniungi posse videtur cum 'age' p. 66 (v. 51).
'discite' in fronte versuum p. 84.
'etiam' saepissime ponit Ovidius altero versus loco post antecedentem vocem monosyllabam p. 84.
'fac', non 'face' constanter dicere videtur Ovidius p. 67 (v. 60).
faciei cultus latissime patebat apud veteres p. 87 (adn. 46).
findi (rumpi) dicuntur angues cantibus magicis p. 64 (v. 39).
focis, focos fere ubique collocat Ovidius in fine pentametri p. 85.
focis falso pro foco illatum a librariis p. 55 (v. 16).
forsitan. loci Ovidiani, quibus legitur, enumerantur p. 54 sq. (v. 12).
fucos vel pigmenta non tractat Ovidius in lib. de med. fac. p. 78 (adn. 44), cf. p. 48 (adn. 30).
herbarum vires saepe tangit Ovidius p. 81.
'ille': quicumque - - ille, qui - - ille, si quis - - ille p. 69 (v. 68).
ille et ipse, illa et ipsa etc. saepe confunduntur a librariis p. 69 (v. 68).

Digitized by Google

incantamentorum vim saepe commemorat Ovidius p. 86.
'ire in' dici non posse videtur de ponderibus definiendis p. 67 (v. 60).
iris Illyrica p. 71 (v. 74).
lapides oriente petiti, non parati p. 57 sq. (v. 21).
'lenta' epitheton asellae p. 71 (v. 72).
lomenti vis medica p. 70 (v. 70).
Lunae labores minuuntur aeris sonitu p. 65 (v. 41).
marathus et marathrus dicitur p. 75 (v. 91).
marathus, marathum ut lapathus, lapathum p. 76 (v. 91).
medicaminis significationes quaedam confusae p. 47 sq.
molae nigrae dicuntur p. 70 sq. (v. 72).
mordaces rubi vocantur p. 53 (v. 4).
multus: nullus p. 77 sq. (v. 98).
munditia nonnumquam opponitur cultui p. 61 (v. 27).
'murra', non 'myrrha' p. 74 (v. 88).
m. pinguis genus murrae proprium p. 74 (v. 88).
muta avis dici potest pavo p. 63 sq. (v. 34).
namque falso illatum pro iamque p. 67 (v. 61).
Naugeriana Ovidii editio p. 34.
nitrum purpureum (rubens) optimum p. 78 (adn. 44).
nitri acrimonia p. 72 (v. 85).
onus (honus) in honor, decus mutatum a librariis p. 58 (v. 22).
parare dici potest pro efficere in numeris computandis p. 76 (v. 92).
Politiani excerpta p. 23 sqq.
'prebens' e 'premens' ortum pronuntiando p. 55 (v. 13).
'quantum' cum coniunctivo ponitur ad mensuram definiendam p. 76 (v. 93).
quicumque locis quibusdam proxime accedit ad qualiscumque p. 62 sq. (v. 31).
regnante, regna (sceptra) tenente, sub rege pariter dicit Ovidius p. 53 (v. 11).
repetit saepe versus suos vel versuum partes Ovidius p. 82.
Sabinarum rusticitatem saepe contemptim tangit Ovidius p. 86.
saecula vestra p. 59 (v. 24).
'scripulum', non 'scrupulum' p. 76 (v. 24).
secta uncia, non sexta p. 71 (v. 80).
similitudines sine ullo transitu ad thema propositum adicere adamat Ovidius p. 85.
sui anni p. 65 sq. (v. 50).
'tamen' vulgo in primo dactylo ponit Ovidius antecedente voce monosyllaba p. 84.
'Temesaeus', non 'Temeseius' p. 65 (v. 41).
'tus' non, 'thus' p. 72 (v. 83).
utrumque: utrimque p. 73 (v. 86).
vester, noster saepe confusa in ll. mss. p. 56 (v. 17), p. 59 (v. 24).
vultus candorem quae efficere videbantur medicamina p. 77 (v. 98).

Digitized by Google

Digitized by Google

THIS BOOK IS DUE ON THE LAST DATE STAMPED BELOW

AN INITIAL FINE OF 25 CENTS

WILL BE ASSESSED FOR FAILURE TO RETURN THIS BOOK ON THE DATE DUE. THE PENALTY WILL INCREASE TO 50 CENTS ON THE FOURTH DAY AND TO $1.00 ON THE SEVENTH DAY OVERDUE.

SEP 30 1939

LD 21-20m-5,'39(9269s)

Digitized by Google

U.C. BERKELEY LIBRARIES

C003092533

Digitized by Google

MAY 13 1903

P. OVIDII NASONIS

LIBELLUS

DE MEDICAMINE FACIEI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

EDIDIT, OVIDIO VINDICAVIT

ANTONIUS KUNZ.

PRAEMISSA EST DE CODICIBUS OVIDIANIS DISPUTATIO.

VINDOBONAE
APUD C. GEROLDI FILIUM, BIBLIOPOLAM
MDCCCLXXXI.